
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
16 A
11

SPOLIA AEGYPTIORVM

Seu

CAPTIVÆ ABRASÆ

Hoc est

MEDVLLA MORALIS

Prophanorum Authorum

Opera, & studio

R. P. Antonij Lancei

Congregationis Oratorij.

SPOLETI.





Pertinet ad Bibliothecã S. Fran. Transtiberi ex Testam.to Ill.mi et Rev. D. Ascanij Rinaldi 1660

Perusiæ, Ex Typographia Camerali;
Apud Sebastianum Zecchinum.
Superiorum Permissu. MDCLI.



EMINENTISS. PRINCIPI

FRANCISCO

CARD.

RAPACCIOLO.

ANTONIVS LANCEVS

F.



I me gloriæ cupiditas tã geret, vt libellis meis in lucem properantibus à nuncupatione præsidium & decus quærerem; Tu vnus maximè es, Eminentissime Princeps, qui voti damnares, cuius tutelæ & humanitati committerem. Nec tamen vnus, cui dignitatis splendor par est cum

multis. Sed si summum mentis acumen iudicijque candorem, si doctrinā multiplicem, si religiosissimam pietatem intueor; ad quem ire magis debeam, cuius auspicio magis fidere, vix video, qui animum meum iustiùs alliciat, præter Te. cuius purpura non tam regum pompam, quàm Christi sanguinem loquitur, & verè in Apostolici ordinis celsitate Apostolicæ sanctimoniam Vitæ. Patere ergo, Princeps optime, vt i Tibhoc, & Te Ecclesiæ gratuler; nec munusculi tenuitatem sperne, quod Tuæ simul Eminentissimæ supra Purpuram Virtuti tributum, qualecumque possum, mei simul humillimi pignus obsequij sacro & dedico.

PRAE-

PRAEFATIO.



Lle ego prolo-gomenorum cōtēptor; imo & condemnator, ante fores huius operis, ea commentari cogor, profundas, & antiquas cogitationes paucis reuelare impotens. Videri poteram in Beniamino meo sat explicasse intentionem, qua præsens opus sum meditatus, queq. ad meditandum me attraxerant. Verùm quia famulus Elisęi post me clamat, se vidisse exercitum, equos, & currus contra me aduētantes, scilicet obiectiones, accusationes, & condemnationes, atque adeò execrationes

4. Reg. 6. 14.

nes,quibus ſcrupuloſi quidam,pluresque ignari , & malignantes meam impugnant ſentẽtiam, nonnullis malè acceptis patrum authoritatibus galeati , illorumque ſententias contra me iaculantes;neceſſarium duxi , vt quaſi alter Eliſęus famulum à timore liberem,oculos illi ad aperiens , & videre faciẽs,plures mecum eſſe , quàm cum illis , montemque plenum equorum, & curruum igneorum in circuitu meo . Efficaciſſimas dico rationes , grauisſimas authoritates , manifeſtiſſima in medium adducens Sanctorum Patrum exempla , à quibus omnis noſtra eruditio inſtituenda

Ibid. 17.

da,atque mores efformandi. Oſtendam ab ipſis meum delineatum opus, & mandatum, nō tantùm comprobatum, & laudatùm. En currus igneus; Gregorius, inquam, Nazianz. zelu tabeſcens,imò excādeſcens cōtra temerarios iſtos,qui in ſacro oratore prophanam damnāt eruditionem, quam ipſe tant opere commendabat in ſuo Baſilio.

Illud autem inter omnes ſacræ mentis homines conſtare arbitror, eruditionem inter humana bona principem locum tenere; non de hac noſtra ſolùm, ac nobiliore loquor, quæ contempto omni ſermonis lepore, atque ornatu, ſaluti vni, atque ea- S. Gregor. Naz. orat. in laud. S. Baſilij.

 rum

rum rerum, quæ ratione, atque animo intelliguntur, pulchritudini arctissime hæret; sed etiam de externa, quam plerique Christiani, prauo quodam iudicio, vt insidiosam, periculosam, ac procul à Deo auertentem, aspernantur. Quemadmodum enim Cœlum, terram, aerem, quęque eorum complexu coërcentur, non ideò contemnere debemus, quia nonnulli scelerate acceperunt, pro Deo ea, quæ Dei sunt, venerantes: quin potius quicquid, tùm ad vitam, tum ad animi oblectationem vsui est, decerpentes, quicquid periculosum est, fugimus, non res creatas aduersùs Creatorem, vt stulti faciunt, concitantes, sed ex rebus conditis Cō-

ditorem

ditorem agnoſcentes, atque omnem intellectum, vt Apoſtoli verbis vtar, Chriſto captiuũ ſubmittentes. Quemadmodum inſuper, nec ignis, nec cibus, nec ferrum, nec res vlla alia ſuaptè natura, vel maximè vtilis eſt, vel maximè noxia, verùm vt ijs, qui vtuntur, placet: atque adeò è ſerpẽtibus beſtijs quaſdam interdum ſalutaribus medicamentis admiſcemus; eodem nos quoque modo ex litteris illis, & diſciplinis, id ſanè quod in inquirenda rerum natura, & contemplatione verſatur, ſuſcipimus; quicquid autem ad dæmones, & errorem, & exitij voraginem ducit, reſpuimus. Imo etiam ab eo ad Dei cultum adiuti ſumus, nimirum ex de-

deteriori, id, quod præstantius est, cognoscentes, atque illorum imbecillitate doctrinam nostram fulcientes. Quamobrem nõ idcircò eruditio contemnenda est, quòd ita quibusdam videatur: quin potius stulti, atque imperiti habendi sunt, qui hoc existimant: qui omnes sui similes esse cupiant, vt priuata eorum inscitia sub communi deliteat, nec quisquam ipsorum imperitiam prodat, & coarguat.

Quid dicitis, ò Censores? Non ego, Nazianzenus vir ille, qui Theologus dicitur, neque minùs litteris, quàm spiritu, & deuotione excellens vestrum iudicium prauum appellat, *Prauo quodam iudicio.*

dicio. Ipſe eſt, qui vos ſtultos vocat, & imperitos, *Quin potius ſtulti, & imperiti habendi ſunt, qui hoc exiſtimant*, ideſt contemnendam eſſe prophanam eruditionẽ. Gregorius eſt, qui vulnus detegit malignitatis veſtræ, faſcia zeli opertum. *Qui omnes ſui ſimiles eſſe cupiant, vt priuata eorum inſcitia ſub communi deliteat, nec quiſquam eorum imperitiam prodat, & coarguat*. Verè ſic ſe res habet. hęc hęc radix, hoc fundamẽtum zeli eorum. Deficientes enim ípſi, vel capacitate ad percipiẽdos doctos authores, vel ingenio ad ipſis vtendum, atque exiſtentes de numero virorum illo-

rum ; qui desidiosi , & pigri , & oscitantes , sibi ipsis adulantur , & quod deterius est , alijs quoque suadere volunt : satis eloquentiæ comparari pro concionibus in lectitando speculo exemplorum vitaque Iosaphát, Et si qui sunt huius farinæ libelli: atque adeo audientes aliquem exquisita prędit um eruditione, non ad depâscendas aniculas, sed ad satíanda, & lucranda, etiam doctiorum ingenia, statim illum baptizant vaniloquum, curiosum, & funda iaciunt in eum, quasi contra alterum Goliath. non autem in nomine Domini, vt Dauid, sed potius, vt Simeon, & Leuì vasa

1. Reg.

vasa iniquitatis bellantia in furore suo, Apostolica verba. *Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & veritate*, & 1. Cor. 2. 12. *Ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ annuntians vobis testimonium Christi: non enim iudicaui, me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*. Buccinantque etiam pleno ore, quasi de sua plenitudine eructantes illa eiusdem Apost. 2. Cor. 2. 17. *Non enim sumus sicut plurimi adulterãtes verbum Dei, sed in sinceritate: sed sicut ex Deo coram Deo in* 1. Cor. 2. 4

Chri-

Christo loquimur. Hæredes non Apostolici spiritus, sed Pharisaici, qui inscitiâm vestram in gloriam vertitis, dilatantes phylacteria turpissimæ vestræ ignauiæ. Verbum Dei est fons sapientiæ, vos estis fons inscitiæ, & non estis adulterantes verbum Dei? Quæ nam maior adulteratio? Verbum Dei, quod

Psal. 11.7. est argentum purum igne

Isai. 1.22. examinatum, purgatum septuplum, non nè vertitur in scoriam, dum à vobis insulsè prædicatur, ita vt omnibus contemptibile fiat? Sermo vester, & prædicatio vestra, quę non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, amabo, est in ostensione

spi-

ſpiritus? Cauete ab affirmando. Caſſianus quæſo ne dicat vos audiens, Caput meum doleo, caput meum doleo, non magis à præceptis humilitatis quã à ſemitis veritatis vobis dediſcentibus. Quomodo ſpiritum Domini oſtendítis, quando ſermo veſter frigidior aqua, & ſermo, qui in oſtenſione ſpiritus eſt, videtur quaſi muſtum? Vnde muſto plenos putabant Apoſtolos, qui eos audiebant loquentes magnalia Dei. Credite Nazianzeno, cenſura veſtra, inſcitię velamen eſt. Equídem nunquam vos audio. quin mihi ſtatim occurrat miniſter Moyſis, qui audiens, quod Edad, & Me-

Act.

Num. 11. 28.

Medad prophetarent in castris, ait *Domine mi Moyses prohibe eos*. Ne putetis tamen, me aliqua compassione vobiscum non esse affectum. Scio enim ingratam esse Saul symphoniã puellarum Israel cantantium; *Percussit Saul mille Dauid decem millia*. Scio inuisum fratribus Ioseph propter vestem polimytam. Tamen intollerabilis mihi videtur impudentia, quòd docti vos audientes non patiantur scãdalum, imo vestram insciniam simplicitatis sanctimoniam officioso, & pio mendacio appellent, memores verborum Hieronymi ad Pammach: (*In loquendo simplicitatem ex-*

Ep, 101.

cusabit

cusabit Sanctimoniæ magnitudo) & credant in vobis, multum deptum studijs, quia superadditum precibus. Vos autem indocti, quibus humilitas necessitatis est, non voluntatis, quos pauperes fecit Deus, & natura, condemnare, audeatisquibus obsequi,& admirari deberetis. Intolerabilis certè est impudentia. Verùm si scupulus, qui pariter ab inscitia est, & non liuor facit, vt prophanum in Sacro Oratore eruditionem alij damnent, rati maiorem simplicitatem decere res sacras; & cur,ego dixerim, vestitum Aaron non damnant, ex præscriptione diuina, tam cultum atque

ele-

elegantem? cur non magnificum tabernaculum à Moyse imperatum ad exẽplar, quod Deus in monte monstrauerat? cur non opulentissimum Salomonis templum, cuius è Cęlo diuina fuerat architecta Sapientia? Dicant vt volũt, futurum pulchrius Sacerdoti indumentum è sacco, tabernaculum è virgultis & folijs, templum è cratibus, è lateribus, è cespitibus. Increpẽt Magdalenam, quod ijsdem capillis suis, quibus arte cõpositis, & vnguẽtatis mille amatoribus laqueos insidiosa texebat, sacrosanctos abstergat Domini pedes; vel Seruatorem ipsum obiurgent, quòd ijs se tan-

gi

gi ſinat, quòd non abſcindi abijcique imperet. Sed hoc parum eſt. Dicite, ſcrupuloſi, quibus digna pretio videtur inſula ſimplicitas: Poteſt nè fructum facere orator, vbi non Auditor attentus? profectò veſtra etiam confeſſione, non poteſt: & dicam liberè. Si quis interdum adeò ſimpliciter concionatur, concionem plerũque habet oſcitantem, vel garrientem, vel dormitantem, & quod grauius eſt, abeuntem. Audio tamen, quicquid obijcere mihi contra poteſtis. Eruditîs quoque, & cultis oratoribus id fatum eſſe aliquando, audiri quidem attentè, ſed ſinè fructu; cum de-

ſcri-

ſcriptionum amœnitate, acumine ſententiarũ poëticæ ſuauitatis flore, inopinata paradoxorum ſubtilitate, & huiuſcemodi illecebris placeant. Sed hoc tantùm. Concionis, & attentionis fructus idem, ac ſi nulla concio, nulla fuiſſet attentio. Bene eſt: adulterina mihi quoquè illa ſemper viſa eſt eloquentia, quæ ſacrum oratorem decere minimè poteſt, & in quam ſæpè inuehi meritó ſoleo. Agite, nè abeamus ab inſtituto. Si fluxas mundi felicitates oſtẽdre velletis aliquo exemplo, auderetis nè Alexandrum Magnum producere; qui, vt ſacra loquitur pagina in lib. Machab.

poſt-

poſtquam erat orbis terrarum imperiũ adeptus, *decidit in lectum?* opinor auderetis; neque enim exemplum vllum ſit magis illuſtre, & quod altiùs in animos penetret. Idem cenſeamus licet de Antiocho alijſque ad ſegetem moralitatis. Quidni ergò iure dixerim, è prophanis quoque hiſtoricis liceat eidem fini paria proferre exempla? fortaſſe plus eſt fidei ſacris quàm Ethnicis; & plus momenti in Moyſe, Dauid, Salomone, Euangelijs, quàm in Dionyſio, Herodoto, Thucydide, Saluſtio, Liuio. Quis hoc negat? ſed moralitatis tamen fructus hinc quoquè abundè eſt. Theologicæ

gicæ

gicæ doctrinę patrem Augustinum audiamus, qui in hanc sententiam fusè differens.

'August. de Doct. Chri. l. 2. to. 3.

Philosophi, inquit, *qui vocantur, si qua forte vera, & fidei nostræ accommoda dixerunt, maxime Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda. Sicut enim Aegyptij non solùm idola habebant, & onera grauia, quæ populus Israel detestaret, & fugeret, sed etiam vasa, atque ornamenta de auro, & argento, & vestem, quæ ille populus exiens de Aegypto sibi potius tãquam ad vsum meliorem clanculo vendicauit, non authoritate propria,*

sed

ſed præcepto Dei, ipſis Aegyptijs neſcienter commodantibus ea, quibus non bene vtebantur; ſic doctrinæ omnes gentilium non ſolùm ſimulata, & ſuperſtitioſa figmenta, grauesque ſarcinas ſuperuacanei laboris habent, quæ vnuſquiſque noſtrum duce Chriſto de ſocietate gentilium exiens debet abominari, atque deuitare: ſed etiam liberales diſciplinas vſui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtiliſſima continent, deque ipſo Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos: quod eorum tanquam aurum, & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed quibuſdam quaſi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique in-

infusa est, eruerunt, & quo peruersè, atque iniuriosè ad obsequia dæmonum abutuntur, cum ab eorum misera societate se se animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad vsum iustum prædicandi Euangelij. Vestem quoque illorum, idest hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere, atque habere licuerit in vsum conuertenda Christianũ. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Non ne aspicimus quàm auro, argento, & veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus Doctor suauissimus, & Martyr beatissimus? Quanto Lactantius?

tius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? Vt de viuis taceam: quanto innumerabiles Græci? quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, Quod eruditus fuerit omni sapientia Aegyptiorum. Quibus omnibus Viris superstitiosa gentium consuetudo, & maximè illis temporibus, cum Christi iugum decutiens Christianos persequebatur, disciplinas, quas vtiles habebat, nunquam commodaret, si eas in vsum vnius Dei colendi, quo vanus idolorum cultus extingueretur, conuersum iri suspicaretur, sed dederunt aurum, & argentum, & vestem suam exeunti populo Dei de Aegypto, nescientes

++ *quem-*

infusa est, eruerunt, & quo peruersè, atque iniuriosè ad obsequia dæmonum abutuntur, cum ab eorum misera societate se se animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad vsum iustum prædicandi Euangelij. Vestem quoque illorum, idest hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere, atque habere licuerit in vsum conuertenda Christianũ. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Non ne aspicimus quàm auro, argento, & veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus Doctor suauissimus, & Martyr beatissimus? Quanto Lactantius?

tius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? Vt de viuis taceam: quanto innumerabiles Græci? quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, Quod eruditus fuerit omni sapientia Aegyptiorum. Quibus omnibus Viris superstitiosa gentium consuetudo, & maximè illis temporibus, cum Christi iugum decutiens Christianos persequebatur, disciplinas, quas vtiles habebat, nunquam commodaret, si eas in vsum vnius Dei colendi, quo vanus idolorum cultus extingueretur, conuersum iri suspicaretur, sed dederunt aurum, & argentum, & vestem suam exeunti populo Dei de Aegypto, nescientes

††   *quem-*

quemadmodum illa, quæ dabant, in Christi obsequium redderentur. Illud enim in Exodo factum sine dubio figuratum est, vt hoc præfiguraret: Audistis Augustinum; quid nunc dicitis? qui prophanam eruditionem Euangelico prædicatore indignam esse contenditis? qui clamosè, sed in rem parum aptè, obijciebatis; *Quæ communicatio lucis ad tenebras? & quis consensus Christo cum Belial?* in templo arcam Dei cum Dagon esse non posse; nec Ismaelem cum Isai hæredem. *Non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ*. Quid? potuit clariùs mentem suam aperire Antistes magnus? *Debet*

ab

ab eis auferre Christianum ad vsum iustum prædicandi Euangelium. Nimiùm quoquè offendi tot à me collectis politicis documentis videbamini. Atquì summi Doctoris sententiam accepistis. *Vestem quoque illorum, idest hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere licuerit in vsum conuertenda Christianum; nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri?* Verùm in ore duorum, aut trium testiũ stat omne verbum. Ergo Augustino Basilium adiũgamus, de prophanis eruditionibus in hunc planè modum differentem. *Ve-*

luti plantis, quibus propria virtus est fructu pulcherrimo scatere, folia nihilominus ramis coniuncta quendam ferunt ornatum: Sic & anima, cui præcellens quidem veritas fructus est, non ab re tamen exteriore sapientia circundatur, sicuti folijs quibusdam umbram fructui, ac aspectum non intempestiuum præbentibus. Dicitur enim & Moyses ille, cuius est in sapientia nomen apud omnes homines maximum, Aegyptiorum disciplinis mentem exercitatus, ita ad eius, qui est, contemplationem processisse. Similiter autem & in sequentibus temporibus Danielem Babylone Chaldæorum sapientiam dicunt didicisse,

dicisse, tunc denique diuinas attigisse doctrinas. Et hactenus quidem quod disciplinæ prophanæ non sunt animæ omninò inutiles satis narratum. Non tamen hic finem facit Basilius; nam quanta inde sit vtilitas, pergit ostendere, & quod ego in hoc opere conatus sum, clarissimè docet: *Velati* inquiens *florum reliquis quidem vsque ad odorem, vel colorem est vsus, apes autem mel ex ipsis excerpere nouerunt: sic & qui diligentes in legendo existunt, non solum quod dulce, iucundumque fuerit, in eorum libris persequuntur, sed quandam ex eis vtilitatem animo referre contendunt. Velut item apes*

 (quan-

(quando hæ nobis probè huic exemplo suppeditant) non omnibus floribus similiter insidunt, neque ex eis, ad quos accedunt, omnia auferre conantur, sed quantum ipsis ad opus necessarium fuerit comprendentes, reliquum dimittunt. Nos etiam vt sobrij, sapientesque quantum congruum nobis propinquumque veritati ex ipsis fuerit, persequamur: reliquum pretereamus. Et sicut in legendis rosis sentes vitamus, sic in talibus sermonibus quicquid est vtile carpentes, noxium vitemus. Statim igitur ab initio quãlibet doctrinam considerare, & ad finem certum accommodare, ac ex Dorico prouerbio lapidem ad funiculum

lum

lum applicare oportebit. Et quando per virtutem ad vitam hanc veram ascenditur, virtus autem ipsa plurimum à poetis historiographis multo magis, & philosophis commendatur, talibus eorum sermonibus maximè vacandum. Audisti disceptator? *maximè vacandum.* Et nonnè ego tibi vera locutus? Sed vt intelligas, inter prophana studia, quanta in primis sit prophanæ historię fruges, quã nunc offero, aduerte animúm ad ea, quæ sequuntur. *Verùm quoniam antiquorum virorum nonnullæ studiosæ actiones, factaque, vel memoriæ beneficio, vel poetarum, vel historicorum scriptis custodita ad nos vs-*

que penetrant: ex his nobis non omninò aliqua deerit vtilitas. Verbi gratia: Homo quidam in foro Periclem probris omnibus incessebat: Is autem minimè curare visus, toto ferè die sustinuit. Deinde vesperi iam discedentem cum lumine comitatus est, ne quid in philosophiæ studio amitteret. Rursus quidam Euclidi Megarensi animo concitatus mortem se iurauit illaturum. Ille verò contra se patienter laturum iurauit, placatumquè, & ei quanuis infesto se conciliatum iri. Quamobrem valdè quidem ad nos excitandos refert, vt talia virorum iram cohibentium exempla nostram subeant memoriam. Neq. enim

tragœdiæ credendum omninò dicenti. Ira manus inimicas armabit. Verum irasci nullo modò tutius esset. Quod si fieri non poterit, ratione saltem ira moderanda, nec longius efferri permittenda. Rursus autem ad exempla laudabilia redeamus. Quidam vehementi impetu Socratis faciem cecidit, hic autem minimè commotus furentem debaccari, & iram satiare permisit; ex quo eum totum ex plagis tumidum, ac contusum reddidit. Vbi verò ille cædendo destitit, nihil aliud Socrates fecisse dicitur, quàm fronti propriæ inscripsisse: Talis fecit, veluti statuæ cuidam auctoris nomine, & eo modo se se vindicasse. Quæ omnia

pro-

profectò nostris congruentia videntur, ac magnoperè imitanda censerem. Nam Socratis hoc germanum est illi præcepto, quod maxillam verberanti, & alteram præbere iubet. Illud verò Periclis, vel Euclidis, simile illi, quod persequentes sustinere, ac mansuetè illorum iras tolerare, & inimicis etiam bona precari, non execrari deceat. Et talibus instructus exemplis, hoc arduum patientiæ præceptum seruare posse non omninò diffidat. Veniam ad alias virtutes, & in primis illud Alexandri Magni non prȩteribo, qui Darij filias captiuas admirabili forma, & decore conspicuo, vt fama est, nec etiam videre dignatus

tus

tus est: turpe esse existimans, victores his, quas ipsi superassent gentibus succumbere. Hoc enim illud referre videtur, quod ad concupiscētiam mulierem aspiciens, & si adulterium opere non compleuerit, ob id tamen, quod concupiscentiæ consensit, à culpa vacuus non erit. Illud quoque Cliniæ vnius è secta Pythagorea difficile est credere, quod casu non de industria nostros imitatur. Num illi dum per iuramentum mulctam trium talentorum vitare liceret, iniuriam pati maluit, quàm iurare, idque cùm non esset falso iuraturus, atque ita iam tùm quasi illud de iuramēto nobis interdicto pręceptum audiuisse, videtur.


Su-

Supereſt nè adhuc ſcru-
pulus vllus, vt Sacræ
Scripturæ locis è propha-
na historia miſcentem
exempla, tanquam ſemî-
prophanum inſimules? Si
ſupereſt, nec dum clara
tibi veritas liquet, aut me
nè carpe, aut vnà mecum
magnos illos Patres dam-
na, Auguſtinum, Baſi-
lium, Nazianzenum, quo-
rum ego auctoritatem ſe-
qui volui, vel ſi hos dam-
nare non audes, mihi quo-
què poteris indulgere, &
hunc qualemcumq. meũ
laborem non inuitus ac-
cipere, ad fruendum ſi-
mul, ſi tanti videbitur, &
vtendum. Nec aliter ta-
men, niſi ad eorundem
Sanctiſſimorum Patrum
præ-

præſcriptum. Nam apagè illorum impudentiam, à qua Sacrum Concionatorem omninò velim quàm longiſſimè abeſſe; qui tẽplum Dei vt Academicam palæſtram habent, & prophanam doctrinam vſurpant ſolùm ad oſtentationem, & ad inanem nihilque profuturam aurium voluptatem. Hi de ſpolijs Ægyptiorum vitulum fabricant. In hos licet ira intumeſcas, & diſtrictum zeli gladium vibres; Sequar ego cum filijs Leui, & pari tecum calore diuinum decus vlciſcar. Tu hæc cape, prophana ſacrum in vſum verte; vt inde templum ædifices inde tabernaculum con-

ſtruas

ſtruas ei, qui eſt in altiſſimis; cui in æternitatem honor & gloria.



HERO-

HERODOTVS
HALICARNASSÆVS
Abrasus,& Circumcisus.

I.

Mulierum munus est domi agere, nõ foris circumuagari, ne periculum faciant castitatis. l.1.pag.1.] *Quam acutè igitur Salomon monuit viros.* Eccl.25.34. Ne des aquæ tuæ exitum.



Robat Herodotus sui operis in fronte, dissensionum causas inter Græcos, & Barbaros, referens his verbis. Persarum eximij memorant, dissensionũ auctores extitisse Phœnices, qui à mari, quod Rubrum vocatur, in hoc nostrum proficiscentes, & hanc incolentes regionem, quam nunc quoque incolunt, longinquis continuò nauigationibus incubuerunt: faciendisq. Ægyptiarum, & Asiriarum mercium vecturis, cùm in alias plagas, tùm etiam Argos peruenerunt. Argos etenim ea tempestate omnibus Ciuitatibus regionis, quæ nunc Græcia nominatur, ante-

 cel-

cellebat. Huc porro appulsos Phoenices mercimonia expofuisse: & quinto, sextoue quàm appulissent die, cunctis ferè diuenditis, fœminas ad mare venisse cùm alias multas, tùm verò Regis filiam, cui nomen esset idem, quod Græci tradunt, Io filiam Inachi. Dumq. hæ fœminæ puppi nauis assistentes ea mercarentur, quæ cuiusque auiditas maximè ferebat, in eas Phœnices se se adhortatos impetos fecisse.

2.

***Libido dissensionum, & bellorum origo, & fax*. lib. 1. pag. 2.]** *Hinc Salem depopulata a filijs Iacob*. Genes.34 *Hinc Tribus Beniamin quasi penitus deleta a cæteris filijs Israel*. Iud.21.

Evropa, atque Asiæ bella, non ex alio fonte orta fuisse, quam ex rapinis fœminarum, asserit Herodotus, nam rapta Io filia Inachi, Græcorum quidam Tyrum appulsi filiam Regis Europam rapuerunt, postea etiam longa Naui in ora Colchidis, ad Phasim fluuiũ cum cætera transegissent, quorum gratia venerant, filiam Regis Medæam similiter abstulerunt, donec Alexander, Priami filius, rapta Helena, ansam præbuit Troiano excidio.

3.

Mulier nuda, inuerecunda est. lib. 1. pag. 4.] *Benè Apost.* 1. Cor. 11. 5 *etiam caput velare monuit mulieres.*

Canda-

CAndaules vxorem adamabat, eamq. pra amore arbitrabat, omnium pulcherrimam. Hoc ita esse sibi persuadens apud Gygem, vnum ex satellitibus suis, speciem vxoris supra modum extollebat; cum sapè diceret, quòd si non fidem sibi prastitisset, curaret, vt nudam aspiceret. Quod nequaquam sanum putans Gyges, respondit. Mulier exuta tunica, & verecundiam pariter exuit.

4.

Bonum, quo gaudemus, cupimus alteri notum facere. lib. 1. par. 4.]

Ex quo disce cur pastor. Luc. 15 9. *inuenta perdita oue conuocasset vicinos, & amicos, similiter mulier inuenta drachma.*

PAtet in superiori exemplo Candaulis, cupientis, Gygi pulchritudinem vxoris communicare.

5.

Nudum videri probrũ est. l. 1. p. 5.]

Quid mirum si ad se reuersus Noe tam diram maledictionem in Canaan iniecerit, qui eum in ebrietate denudatum aspexerat. Gen. 9. 24.

VXor Candaulis, vbi Gygem ad suam pulchritudinem cõtemplandam opera eiusdẽ Candaulis admissum, inter exeundum depre-

hendit, quod nuda conspecta fuerit, apud Lydos enim, & ferè apud cæteros Barbaros magno probro est, etiam virum conspici nudum, *habuit in animo Candaulem vlcisci, atque hoc paulò post operi demandauit, eodem Gyge coacto, vt maritum obtruncaret.*

5.

Mulieres pudicitiam acritèr zelare debent, vt sup.] *Puta quo rubore suffusa, & quo zelo inflammata extiterit castissima Susanna, impudicis senum oculis se videns expositam in lauacro* Dan.c.13.

6.

Bellando hostiles terras deuastare neutri partium vtile. lib.1.p.7.

D*E Alyatte ita refert Auctor*. Quumque in agrum Milesium peruenerat, non ædificia, quæ in agris erant diruere, non incendere', non fores confringere, sed incolumes esse passim sinebat: arboribus modò, fructibusque regionis peruastatis, rursus se recipiebat. Ædificia autem idcirco Lydus non excidebat, vt & Milesij, habentes vndè procederent, humum sererent, colerentq.: & cùm hoc illi fecissent, ipse cum exercitu ingressus haberet aliquid, quòd popularetur.

7.

Homines voluptati indulgentes, sæpè retrahuntur à suo instituto, &

ope-

opere. lib.1.p.9.] *Inter multos non nè Holofernis hoc accidit?* Iudith.c.12.

ITa retractos fuisse nauitas Arioni insidias tendentes ut pecuniis eius potirentur, refert Herodotus sequenti narratione. Arionem ferunt quum per multum tẽporis triuisset apud Periandrum, concupisse in Italiam, Siciliamq. nauigare: rursusq. parta ingenti pecunia, voluisse Corinthum reuerti: & quum profecturus Tarento esset, quia, nullis magis, quam Corinthijs fideret, nauigium virorum Corinthiorum conduxisse. Quum igitur altum tenerent, istos Arioni insidiatos, vt eo deturbato, pecunia potirentur. Hoc illum intelligentem oblata eis pecunia, mortem tantum fuisse deprecatum. Non persuadenti nauitas iussisse, vt aut sibi manus inferret, vt sepulturam in terra nancisceretur, aut illico in mare desiliret. Arionem ad hanc difficultatem redactum, obsecrasse, vt quandoquidem ipsis ità placitum esset, paterentur se omni suo ornatu coopertum, stantemq. super foros, cantare: & quum decantasset, pollicebatur se sibi manus illaturum. Istos igitur (inuaserat enim eos libido audiendi præstantissimum inter homines modulatorem) è puppe in mediam nauem concessisse. Illum, induto sibi omni ornatu, ac sumpta cithara stantem super foros, inchoasse carmen, quod dicitur orthium: eoq. decantato, sese, vt erat ornatus, in mare iecisse.

8.

Scelera quæ à perpetrantibus occulta putantur, modo incogitabili reuelantur . lib. 1. p. 9.] *O quam verè Veritas dixit*. Nihil opertum, quod non reueletur. Luc. 12. 2.

Arioni Cytharedo, a Periandro reuertenti, & Corinthum versus nauiganti, quòd Diues esset, insidiati sunt nautæ, eumq. in mare proijcere tentauerunt. Infœlix Cytharœdus, vt in suo ornatu moreretur, obsecrari, quod vbi impetrauit, manu cytharam suauissimè pulsare, cùm eius cantu Delphinus illectus, Arionē in mare deuolutum, Corinthum fœliciter transtulit. Accidit autem, vt nautæ Corinthi littoribus appulerent, cuius rei certior factus Arion, cunctaque ei contigerant, enarrauit: Acciti nautæ, vbi adfuerunt, de Arione interrogati, Sospitem illum circa Italiam agere, fortunatumq. Tarenti, se reliquisse, *dixerunt: Arion eodem habitu, quo se deuoluit in mare, apparuit. Quo aspectu præterriti nihil amplius habuere*, quod conuicti inficiarentur.

9.

Leges stabiles esse debent, nec à conditoribus facile mutari. l. 1. p. 11.

Solon, leges iubentibus Atheniensibus laturus decem annos per causam contem-

plandi

plandi nauigando erat peregrinatus, vt nequam legum, quas condiderat, abrogare cogeretur.

10.

In eos, qui parui pendent dies festos, exemplum magnæ Religionis in illis celebrandis. l. 1. p. 12.

QVum dies festus Iunonis apud Argiuos esset, oporteretq. omnino matrē horū *Cleobis, & Bitonis* ad templum ferri bobus iunctis, hiq. boues ex agro eis adhoram præstò nō essent: tunc iuuenes, exclusi tempore, iugum subeuntes, plaustrum pertraxerunt, quo mater vehebatur, & quinque, ac quadraginta per stadia trahentes ad templū peruenerunt. Quibus cùm hæc fecissent, & ab omni cœtu conspecti fuissent, optimus obtigit vitæ exitus, & per hæc Deus iudicauit, Satius homini esse mori, quàm viuere. Nàm quum circumstantes Argiui, laudibus tollerent, viri quidem, consilium filiorum: Fœminæ verò, matrem eorum, quòd talibus filijs prædita esset: Mater gaudio persusa, cùm liberorum facto, tùm fama antè simulachrum stans precata est eam, vt Cleobi, & Bitoni filijs suis daret id, quod optimum esset homini contingere. Post hanc precationem, vbi sacrificarunt, epulatiq. sunt, quiescentes in ipso delubro non sunt ampliùs excitati, sed hoc vitæ exitu perfuncti.

II.

Fœlix, non qui diutiẏs abundat, sed qui virtute praditus, bonam inuenit mortem. l. 1. p. 11. 12 13.

Longa, sed iucunda narratio. Solon Athenis profectus contemplandi gratia, & ne leges, quas condiderat, immutare cogeretur. In Ægyptum ad Amasim se contulit, & Sardis ad Crœsum. Eò quum peruenisset, hospitaliter in regiam à Crœso exceptus est: tertioque, aut quarto quam venerat die, iussu Crœsi, ministri circumduxerunt hominem circa thesauros: omniaq. quæ illic inerant magna, & beata, ostentarunt. Eum porrò contemplatum cuncta, & vt sibi opportunum fuerat intuitum, talibus percontatus est Crœsus, Hospes Atheniensis, quia multus ad nos rumor de te emanauit ob tuam sapientiam, tuamq. discursationem, qui philosophādo permulta videndi gratia es peregrinatus: ideo mihi nunc cupido incessit sciscitandi ex te, ecquem vidisti omnium beatissimum? sperans videlicet se inter homines beatissimum esse, ita sciscitabatur. Solon autē nihil admodum assentatus, sed vt res erat respondens: Ego verò (inquit) ò Rex, vidi beatissimum Tellum Atheniensem. Quod dictum admiratus Crœsus, instat interrogare: Qua de re Tellum iudicas esse beatissimū? Quia, inquit, Tello, Republica benè instituta filij fuerunt honesti, & boni, eorumq. singulis liberi,

beri, hique omnes superstites: & quum hoc vitæ, quantum in nobis situm est, benè traduxisset, obitus splendidissimus ei obtigit. Siquidem prœlio, quod Athenienses cum finitimis gessere apud Eleusinem, quum auxilio venisset, hostemq. in fugam vertisset, pulcherrimam oppetijt morté. Quem Athenienses, quo loco occubuerat, eo ipso publicè humarunt, magnificèq. honorarunt. Tum verò multa de Tello, ac beata Solone referente, excitatus Crœsus, interrogat quemnam secundum ab illo vidisset: putans haud dubié secundas se partes esse laturum. Cleobin, inquit ille, & Bitonem: Quippe his, & genus Argiuum erat, & victus suppeditabat: ad hæc corporis robur tantum, vt & in certaminibus ambo pariter victores extiterint: & de his etiam ista memorentur: Quum dies festus Iunonis apud Argiuos esset, oporteretq. omnino matrem horum ad templum ferri bobus iunctis, h q. boues ex agro eis ad horam præsto non essent: tunc iuuenes exclusi tempore, iugum subeũtes, plaustrum pertraxerunt, quo mater vehebatur, & quinque, ac quadraginta per stadia trahentes ad templum peruenerunt. Quibus quum hæc fecissent, & ab omni cœtu cõspecti fuissent, optimus obtigit vitæ exitus: & per hæc Deus iudicauit, Satius homini esse mori quã viuere. Nam quum circumstantes Argiui laudibus tollerent, viri quidem, consilium filiorum: fœminæ verò, matrem eorum, quod talibus filijs prædita esset: mater gaudio per-

perfusa cum liberorum factorum fama, ante simulacrum stans precata est eam vt Cleobi, & Bitoni filijs suis daret id, quod optimum esset homini contingere. Post hanc precationem vbi sacrificarunt, epulatiq. sunt, quiescentes in ipso delubro non sunt amplius excitati, sed hoc vitæ exitu perfuncti. Quorum effigies, tanquam viuorum, qui præstantissimi extitissent, Argiui factas, apud Delphos collocarunt. Et his quidem Solon secundus beatitudinis partes attribuit. Crœsus autem conturbatus, inquit, Hospes Atheniensis, Adeone á te deijcitur in nihilum nostra fœlicitas, vt ne priuatis quidem iuris nos æquiparandos ducas? Cui ille: Me, Crœse, gnarum omne numen inuidum esse, & turbulentum, de rebus humanis interrogas? In diuturno enim tempore multa videntur, quæ nemo velit videre, & tolerantur multa, quæ nolit quisquam tolerare. Proponamus enim homini terminum vitæ ad septuaginta annos, qui anni constant ex viginriquinque millibus, ac ducentis diebus, mense intercalari non posito. Quod si velis alternos istorum annorum addito mense prolixiores fieri, vt tempora opportuné incidentia congruant, menses quidem intercalares per annos septuaginta fient trigintaquinque, dies autem ex his mensibus mille quingenti. Horum dierum omnium, qui sunt in septuaginta annos, numero viginti sex millia ducenti quinquaginta, nullus prorsus qualem alius rem affert. Ita igitur, Crœse, omnino cala-

mi-

mitosus est homo. Cæterum tu quidem mihi videris, & diuitijs valde pollere, & per multorum hominum Rex esse: sed id de quo me interrogasti, nondũ te esse dixero priusquam te bene vita defunctum esse audiero. Neque enim beatior est qui magnis opibus præditus est, eo qui diurnum victum habet: nisi eidem omnibus bonis prædito fortuna concesserit bene vita defungi. Etenim complures homines sunt per quam locupletes, minimè tamen beati: complures ita mediocria habentes patrimonia, fortunati. Quorum is qui diuitijs affluit, sed non beatus est, duabus tantummodo rebus antecellit fortunatum: at hic illum pluribus. Ille ad cupiditates implendas, & ad grãdem, quæ inciderit, offensam superandam validior est: hic, etsi illo inferior est in his duobus quæ benè illi à fortuna denegantur, tamen excellit quod illorum inexpertus est, quod prospera fruitur valetudine, quod malorum expers, quod bonorum liberorum parens, quod formosus est. Quod si præter hæc diem quoque suum rectè abierit, is est (quem quæris) dignus qui vocetur beatus: prius tamen quam ad obitum peruenerit, nequaquam beatus appellandus, sed fortunatus.

12.

Perfectus dicitur vir in hac vita, non qui cunctis perfectionibus illustratur (nàm hic non reperitur) sed qui pluribus. lib. 1. p 14.

Solon de hominis fœlicitate differens cum Crœso, hominum neminem appellari posse perfectum hac adhibita comparatione mirificè explicauit. Sicut nec vna Regio cuncta sibi ipsi suppeditat, sed aliud habens, alio indiget: quæ tamen habet plurima, ea est optima, quemadmodum etiam hominis corpus vnum aliquod non est consummatum, quia aliud habet, alio caret. Sed quisquis horum plurima constanter habuerit, & postea placido animo è vita excesserit, hic apud me nomine hoc, veluti Rex, donari meretur.

13.

Male succedunt quæ inuitis aut reluctantibus superioribus fiunt. lib. 1. pag. 16. 17.] *Hinc ab inimicis fusi filij Israel inuito Moise pugnantes, hinc fugati vsque in fines Iudeæ, Ioseph. & Azarias, inuito Machabæo pugnantes.* 1. Mac. 5. 60

Nuncijs referentibus, aprum maximum apud Mysios agrestia opera corrumpere, quem studiosissime captantes, interimere tamen non valuerunt: Crœsi filius in venatum eius con-

concessit, sed patre inuito, cui visus in somniis filius, ferrea cuspide periturus, sicuti postea contigit, quia dum belluam *venatores indagant, et inuentam* circumfusi iaculis incessunt; Ad a .us iuuenis regij custos, vibrato in aprum iaculo, non illum, sed frustrato ictu Crœsi filium adeptus est.

14.

Confessio peccati, & contritio placat offensum. lib. I. p. 17.] *Ita Deum iratum propter populi numerationem placauit Rex Dauid*. 2. Reg. 24. 17. *Dicens Angelo populum cadenti*. Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi, vertatur, obsecro, manus tua contra me & contra domum patris mei. Venit autē Gad ad Dauid &c.

V*Bi Adrastus vibrato in aprum iaculo, non illum, sed frustrato ictu Crœsi filium peremit, cuius cust odiam gerebat, propter quod, nesciens quomodo Crœsum defuncti parentem placaret, ei se se tradidit, manus protendens, iubensq. vt se super cadauer extincti Iuuenis mactaret, cū suum benefactorem occidisset*. Hæc Crœsum audiens, & si in tanto domestico luctu positus, tamen Adrastum miseratus est.

Peccatorem decet contritio, & pœnitentia. vt supra.

Mise-

Miſerorum miſeremur. vt ſupra.

14.

Crapula, quam noxia. lib.1.p.24.]

In omnibus expediens, quod monuit Saluator. Luc.21.34. Attendite autem vobis, ne forte grauentur corda veſtra, crapula, & ebrietate.

P*Iſiſtratus habens in animo Athenienſes inuadere, in eos copias duxit.* At illi tunc ad prandium ſe conuerterant, & ſecundum prandium partim ad talos, partim ad ſomnum. In hos igitur impetu facto, qui cum Piſiſtrato erant, eos in fugam vertunt.

Occaſio opportuna ſtatim captanda. vt ſupra.

15.

Qui ambiunt, vt dominentur, iuſtus ſe oſtendunt, donec Dominum aſſequantur. lib.1.pag.42.]

Non ne hæc eſt iuſtitia quam affectabat Abſalon. 2 Reg.15 *patris Regnum vſurpare ambiens? Quando* mane conſurgens, ſtabat ante introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negocium, vt veniret ad Regis iudicium, vocabat Abſalon ad ſe, & dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui reſpondens, aiebat, ex vna tribu Iſrael,

rael, ego sum seruus tuus. Respondebatq. ei Absalon. Videntur mihi sermones tui boni, & iusti. Sed non est qui te audiat constitutus à Rege, dicebatq. Absalon: Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes qui habent negocium, & iustè iudicem?

Cum apud Medos rapinæ, sceleraq. passim per vicos patrarentur, continuò consultatum est quem nam Regem crearent Fuit apud Medos vir sapiens, cui nomen erat Deioces, filius Phraortis, qui quum ad tyrannidem aspiraret, huiusmodi quædam excogitauit. Quum Medi per vicos passim habitarent, Deioces cùm ante apud suos probatos, tùm magis studiosiusq. æquitatem affectitabat, venditabatq. quod videret apud Medos vniuersos magnam quandam licentiam: Stat sciens æquitati iniquitatem esse inuisam. Medi verò, qui eundem habitabant vicum, intuentes hominis mores iudicem ipsum cōtrouersiarum, sibi constituunt. Hic, vt qui Principatum ambiret, rectum se æquumque præbuit. Quæ cum faceret, laudem apud populares suos obtinuit, haud quaquam exiguam: adeo vt hæc intelligentes, qui apud cæteros pagos habitant, nempè Deiocem solum esse qui incorrupte iudicaret, læti vndique affluerent, quotquot prius iniquis sententijs fuerat superati, ad Deiocem, & ipsi lites finiendas transferrent: Postremò nulli alij hanc prouinciam permitterent, quum verò

verò numerus accurrentium creſceret, vtpotè qui intelligerent ſententias iuſtè terminari, Deioces, animaduertens, vniuerſa in ſe vnum incumbere, neque amplius illic conſidere, vbi prius ius dicere conſueuerat, volebat, neque omninò iudicare amplius. Si quidem non è re ſua eſſe inquiebat, ſi totos dies rebus ſuis domi neglectis, dirimendis aliorum litibus operam impenderet. Quum igitur rapinæ, ſceleraque paſſim per vicos multo etiam magis quam prius patrarentur, Medi habito concilio, de communi rerum ſtatu colloqui cœperunt. Et quantum mihi videtur, Deiocis amici excompoſito in hanc ſententiam loquebātur, Nequaquam, inquientes, hiſce modis vſuri hanc noſtram regionem poterimus diù habitare. Agite igitur, conſtituamus nobis ipſis Regem, vt videlicet ditio noſtra bonis legibus adminiſtretur, & nos, ad ſua quiſque opera diuertentes, nuſquam impunitate ſceleratorum violemur. Quæ quùm ſic referrentur, perſuaſi Medi Regibus ſeſe ſubijciunt. Continuò conſultatum eſt, quemnam Regem crearent. Deioces adeò ab omnibus commendatus, productuſq. in medium, vt omnium ſuffragio Rex comprobaretur.

Ambi-

16.

Ambitio regnandi, sanguini non parcit. lib.1.p.46.] *Quod sæpe videre est in sacra Scriptura.* Iud.9.5. Abimelech occidit fratres suos filios Ieroboal septuaginta viros super lapidem vnum. Et 2. Paralipom.21.15. *Ioram Rex Iuda fratres suos septem internecione deleuit, & pluribi similia habentur.*

ASTyages Medorum Rex fuit: Hic prolem filiæ pro ipso regnaturam obseruans ex somnio, cùm ei uisa fuerit ex genitalibus filiæ uitis enasci. quæ omnem occuparet Asiam; propterea genitum ex filia Cyrum, Harpago familiari suo, & inter Medos fidissimo, atque omnium rerum suarum procuratori, *in domum ferre iussit, ibiq. occidere, & quoquo modo uoluit sepelire.*

17.

Inobedientes Principibus iure puniuntur, quia ipsis obedientia debetur. lib.1.p.49.] *Sapienter igitur,* Apost. ad Tit.3.1. Admone illos, potestatibus, & Principibus subditos esse. *Meritoq. iussit Salomon Banaia percutere inobedientem Semei,* 3.Reg.2.

CVm Cyrus puer ab alijs pueris per iocum Rex esset effectus, Artembaris filium Collusorum quemdam, quòd imperata non

fe-

fecisset, comprehendi iussit, & uerberibus affici, hoc iure fecisse aiebat, cum ille inobediens Regi fuisset.

18.

Gaudia, vel quæ talia videntur, sæpe in luctum conuertantur, & prosperitates in aduersitates: qua de causa in hac vita homo nunquam lætari deberet. lib.1.p.51.]

Bene descripsit Iob, mundanum gaudium. Gaudiū hyppocritæ ad instar pūcti. Iob 20.5.

AStyages ubi audiuit Cyrum puellum, quem ipse iusserat interfici, non morti sed bubulco, ut educaretur, traditum fuisse, rem dissimulauit habens in animo, Harpagum pœnas daturum, idcoque ad cœnam adesse iussit. Verum Harpagus adorato Rege, ac sibi maiorem in modum gratulatus, quòd peccatum suum commodè cessisset, & propter sortem prosperam ad conuiuium vocaretur, domum abijt. Quam ingressus properanter filium, qui ipsi vnicus erat, tredecim circiter natum annos, mittit domum Astyagis, iubens exequi quæcunque ille imperaret. Ipse gestiens, quid sibi successissent vxori exponit. Eius porrò filium, vbi aduenit, Astyages iugulatum, & in frusta concisum partem torruit, partem elixauit, & probè conditum, paratum habuit. Dehinc sub horam cœnæ, postquam ad-

adfuerunt, cùm cæteri conuiuæ, tùm verò Harpagus, cæteris quidem alijs, atque ipsi Astyagi mensæ appositæ sunt ouilla, refertæ carne: Harpago autem, præter caput, & manus extremas, ac pedes, reliquis filij sui partibus. nàm illæ in canistro operta separatim reposita erant. *Perspice ergo quomodo Harpagi cythara, idest, lætitia, & exultatio de honore inniti ad conuiuium in luctum, & luctum amarissimum de impia filij nece conuersa est; Verè fallaces filij hominum in stateris suis, nàm ea, quæ putant gaudij argumenta sæpissimè sunt tristitiæ, & luctus.*

19.

Subditi à Domino benignè tractandi, vt ei seruiant, neue quærant Dominum liberaliorem. l. 1. p. 55]

Quod si audisset Robam filius Salomonis, non defecissent ab eo ad Ieroboam decem tribus 3. Reg. 12.

C*Yrus rebellionẽ pertentans aduersus Astiagem Persarum Regem, multos Persarum ad se populos acciri iussit, qui*, Vbi cuncti adfuerunt habentes, quod eis erat præceptum, ibi Cyrus iubet locum quemdam dumosum (erat in Perside is locus circiter decem & octo, aut viginti stadiorum) totum detergant intra diem. Quo labore perfunctis Persis, iterum præcipit in posterum diem, vt lauti adsint. Interim coactos in vnum capraum, ouium, boum gregis patris

tris sui mactat, atque apparat, tanquam Persarum exercitum accepturus, vinoq. ac cibarijs, quàm lautissimis. Postero die vbi conuenerunt Persæ, iubet eos discumbere in prato, atque epulari: Deinde cœnatos interrogat, vtrum pridianam, an præsentem conditionem præoptarent. Illis respondentibus, multum esse inter hæc duo interualli; pridianam enim omnia mala habuisse, præsentem verò omnia bona habere: excœpit Cyrus, & omnem rem denudauit, inquiens; Viri Persæ, ita res vestræ habent: Volentibus vobis mihi obtemperare, & hæc, & alia infinita commoda aderunt, sine vllo seruitutis labore: nolentibus verò, innumerabiles, quales hesternæ, ærumnæ, (*quatenus scilicet sub duro Astyagis imperio manerent.*) Nunc itaque obtemperando mihi, efficiamini liberi, nàm & diuina quadam sorte ipse genitus hæc bona videor in manus vestras esse allaturus; & vos non arbitror inferiores esse Medis, cùm in alijs, tùm verò in bellicis rebus. Quæ cùm ita sint, rebellate quàm primùm ab Astyage. Persæ, vt qui iàm pridem dedignarentur parere Medis, nacti præsidem, libenter se in libertatem vendicarunt.

20.

Iniuria à Principibus accepta dissimulanda. lib.1. pag.51.

Astyages Medorum Rex, ut Harpagum ulcisceretur, quòd Cyrum puellum, quem iussit interfici, morti non tradidisset, sed bubul-

eo, ut ab eo educaretur, præter caput, manus extremas, pedes, ac reliquas filii sui partes ei, ut comederet, exposuit. Eum autē postquā satis depastum illo cibo putauit, Astyages interrogat, numquid sit illis oblectatus epulis. Se verò valdè oblectatum, dicenti Harpago, ij, quibus negociū erat datum, adferunt caput filij cū extremis manibus, ac pedibus tectū; & adstātes iubent detegere, ac sumere quod vellet ex eis. Harpagus obtemperans, vbi detexit, cernit reliquias filij. non tamen eo spectaculo consternatus est, sed apud se ipsum mansit. Et percontanti Astyagi, numquid agnosceret, cuius feræ carne pastus esset; se agnoscere respondit: sibique, quidquid Rex ageret, placere.

21.

Qui contemnunt misericordiam ad eam incitati, non [merentur accipere quādo eā requirūt. l. 1. p. 59.]

Vnde Prou. 1. 24. Vocaui, & renuistis &c. ego quoque in interitu vestro ridebo &c. Tunc inuocabunt me, & non exaudiā &c.

Porrò Iones, atque Æoles, vbi audierunt Lydos citra negocium a Persis victos, legatos Sardis miserunt ad Cyrum, vltrò postulantes, vt iisdem conditionibus eos admitteret, quibus Crœsi subiectos in ditionem accepisset. Verùm Cyrus ad eorum postulata per huiusmodi similitudinem, atque apologum respondit. Tibicen, inquiens, quidam,

dam, vbi pisces in mari conspexisset, canere tibia cœpit, ratus nimirum eos ad cãtus suauitatem, in terram progressuros: at spe sua frustratus, misso in mare vermiculo, ingentem piscium vim complexus est, traxitq. Et cum palpitantes cerneret in sicco, dixit ad pisces, Temperate, inquit, nunc mihi, quæso, à saltationibus, quando non lubuit vobis, me canente saliendo progredi. Quæ verba Cyrus Ionibus, Æolibusq. ideo dixit, quòd Iones priùs ipso Cyro per legatos ad amicitiam inuitante, & flagitante, vt à Crœso rebellarent, constanter recusarunt, ac tum demum, rebus non ex sententia succedentibus, parati essent Cyri imperata facere. Hac occasione ira commotus, dicto responso, eos dimisit.

22.

Paupertas quandoque pudicitiam prostituit amore lucri. lib. 1. p. 82.

B*Abylonij* postea quàm expugnati, malè accepti sunt, remque domesticam absumpserunt, vnusquisque plebeius, qui victus inopia premitur, filias suas adigit ad quæstum corpore faciendum.

23.

Miseros pauperes, & infirmos præterire absq auxilio nefas. l. 1. p. 83.]

Eccl. 4. 5. Ab inope ne auertas oculos.

M*Os apud Babilonios erat, ægrotos efferendi in forum, (neque enim medicis vtebantur,*

tur, vt de eorum lãguore consulerent) qui aut similis laborassent morbo aut alium laborare vidissent. Hi autem hortari, quomodo effugerent similem morbum, aut alias effugisse nouerint; nec licitum erat laborantem silentio praterire, eiusque morbum negligere.

24.

Ebrietas, & crapula quam noxia? lib. 1. par. 88.

M*Assagetani exercitus pars, vt partem copiarum Cyri interemit,* conspecto epulatum apparatu, post aduersariorum cœdem, ad epulandum decumbit: refertaque cibo, ac vino soporatur. Persæ superuenientes horum multos occidunt, multòque plures viuos capiunt, cùm alios, tùm verò ducem eorum.

25.

Prosperitatem impiorum, exitus manet infœlix. lib. 1. p. 211.

] *Propter quod ait* Psalm. 36. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Quoniam sicut fœnum velociter arescent.

P*Olicrates Samius, qui altisimum prosperitatis verticem attigisse videbatur, exitu tã infœlici absumptus est, vt miserrimus mortalium potiùs habendus sit, quam fœlicissimus; nàm ipsum habentem in animo ad Orœtem nauigare, neque virorum consilia, neque infau-*

stum

ſtum ſomnium remouere potuit, quod filia viderat. Videbatur enim ſibi cernere Patrem in aëre ſublimem, qui à Ioue quid m lauaretur, à Sole autem inungeretur. *Poſtquam autem Orœtem tenuit Policrates miſerrimè cruci ſuffixus eſt, atque ita ſuſpenſus omnẽ filia viſionem expoſuit*, nám ab Ioue quidem, cùm plueret, lauabatur; à Sole autem exudante è membris abdomine, vngebatur. Hũc exitum habuere tot proſperæ res Polycratis quem vaticinatus ei fuerat Amaſis Rex Ægypti.

26.

Principes iterum ad ſolium euecti, non debent ſtatim, imperio non benè conſtituto, ardua attentare, præſertim contra Regni Magnates, ſed diſſimulare ad tẽpus. Ibid.]

Hac prudentia polluit Saul. 1 Reg. 10. 27. *qui in die creationis ſuæ à cæteris acclamatus à filiis ve ò Belial deſpectus,* Filij verò Belial dixerunt. Num ſaluare nos poterit iſte, & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille verò diſſimulabat ſe audire.

P*Rincipibus, rurſus ad ſolium euectis, magnũ, nihil intentandum, niſi firmiter imperio cõſtituto, ex eo quod Darius Perſarum Rex egit, edocemur, nàm hic,* Vbi Principatu potitus eſt, Orœtem vlciſci cùm ob alia ſcelera, tùm præcipuè ob Metrobatem, filiumque. (*quos ipſe peremit*) cupiebat: ſed aduerſus eum è

pro-

professo mittere copias consilij, non erat; vtique rebus nondum satis fundatis, & imperio recèns parto, cùmque præsertim audiret Oræter mulum vinixum, cùm mille Persarum satellitibus stipatus esset.

27.

Homines sui amantes, etiam damno proximi rei suæ consulunt. p. 212.

Cum semel in venatu feras Darius exquireret, contigit, vt ab equo descendens, amoto è iuncturis talo pedem intorserit, vehementerq. laxauerit. Arcessi medicos ad se iubet, & præcipuè Democedem, qui, Veritus ne si se proderet, vsquequaque Græcia priuaretur, dissimulauit. sed cum videretur notitiã artis præseferre, iusserat eos, qui hominem adduxerant, verbera, & tormenta afferre in medium; Tunc ille dissimulatione missa, se planè scire artem illam negauit, sed aliquantulum ob eam consuetudinem, quam cum medico habuisset, factâq. ei potestate curandi græcis medicamentis vtens, & lenia post acria admouens, Darium compotem somni fecit; & breui tempore incolumem reddidit, cùm iam se post hac validum fore ad incedendum desperasset.

28.

Quandoque peritia artium, & ta-

lenta insignia principibus occultanda, ne ipsis seruire adstricti, periculum faciamus libertatis. vt supra.

29.

Simulantes veritatem metu & minis afficiendi. p.212. vt supra.

29.

Beneficia accepta liberaliter compensanda, præsertim si debitor pinguiorem fortunam assequutus sit. p.212.] *Hinc tanta liberalitas Dauid in Berzellai, & filios eius.* 2.Reg.19.33.

SYloson *Polycratis Samei erat germanus*, Sumpto hic amiculo rutilo, ac sibi circumdato apud forum Mempheos spatiabatur. Quem cùm vidisset Darius, Cambysis satelles nullius admodum conditionis vir, captus amore amiculi, adit hominē vt mercetur amiculum, Sylo son animaduertens, Darium magnopere amiculum cupere, Diuina quadam fortuna vsus; Ego, inquit, amiculum hoc nullâ pecunia vendo, sed tibi largior, si modo tuum perpetuò debet esse. Hæc approbans Darius accepit indumentū. *Accidit autem, vt Darius Regnum adipisceretur*

tur quamobrem Sylosen in conspectum sese Regis festinus obtulit, de eóque benemeritum sese prædicauit, quòd amiculum roganti in Ægypto dedisset. Ad hæc respondens Darius. O, *inquit*, virorum generosissime: Tu ne ille es, qui mihi nullam dum potentiam habenti, donasti ea, quamuis pauca, tamen perinde grata, ac si nunc aliquid magnum acciperem. Qua de re immenso te auro, argentoq. remunerabor, vt nunquam pœniteat te liberalem in Darium Hystaspis filium extitisse.

Item pag 221.

Vir quidam nomine Zapyrus, cùm Darius Babylonem expugnaret, & ea quodammodo inexpugnabilis contingeret, quod oraculum dixerit, Postquam mulæ peperissent, fore vt muri expugnarentur, vbi comperit quamdam ex suis mulis peperisse, bené se de Dario meritum reddere censuit. Igitur vbi visum est fatale esse iam Babylonem capi, adiens Darium sciscitatus est, numquid per quàm magni faceret expugnare Babylonem. Audiens per quam magni ab illo fieri, aliud consultat, quomodo ipse foret vrbis expugnator, & suum hoc esset opus: beneficia enim apud Persas, multum ad incrementa honorum consequenda valent.

31.

Exemplum Temperantiæ ab ambitione Regnandi. p. 218.] *Recordare Gedeonis,* Iud. 8. 23. *ab imperio oblato*

abſtinentis, Item Saulis ſe abſcondentis, 1.Reg. 10.22.

MEandrius Sami cum poſſet Regnum ſibi vindicare tamen abſtinuit, atque in iuris æquabilitate magis ſibi complacuit, quod aduocata concione profeſſus eſt his verbis. Mihi ſceptrum, atque omnis potentia Polycratis (vt vos etiam noſtis) demandata fuit; in meo quoque arbitrio ſitum eſt, vobis dominari, ſed quod in vicino reprehendo, id ipſe, quoad potero, non faciam, nám, neque Polycrates placebat mihi, in viros ſibi ipſi pares dominatum habens, neque alius quiſpiam talia faciens. Et Polycrates quidem fatum ſuum expleuit, Ego autem depoſito in medium dominatu iuris æquabilitatem ſuadeo.

Imperium ſuper pares, deteſtabile. vt ſup.

32.

Petitiones honeſtæ ſtatim concedendæ, præſertim potentibus, qui ſi denegētur, vi cōſequi poſſunt. p. 218.]
Ideòque imprudens Nabal denegat Dauid petita. 1. Reg 15.

MEandrius Sami curator, cum tantummodo ex pecunia Polycratis ſex talenta ſibi cedi precaretur, & Sacerdotium Iouis liberatoris,

toris, cuius ipse templum extruxit, tam sibi, qui Samiis libertatem restituit, quàm suis liberis, hoc licet leue quid sit, non tamen concessum est, sed quidã surgens, cui nomen erat Thelesoarcus. Tu vero, *inquit*, indignus es qui nobis imperes, tu qui malus extitisti ac funestus, sed dignus potius, qui pecuniarum quas interuertisti, rationem reddas. Quæ Meandrius in animum accipiens, reputansque fore vt si dominatum ipse deponeret, alius quispiam in eius locum tyrannus constitueretur, non deponendum sibi dominatum statuit: sed in arcem regressus, accitum vnumquemque eorum, tanquam rationem pecuniarum redditurus, comprehendit, alligauitque.

33.

Ambitio honoris quàm laboriosa faciat amplecti. p. 221. l. 3.

Zopyrus honorum incrementa consequi cupiens, sibi, suique corporis damno non pepercit; nàm, cùm ei consultum foret, se suffecturum ad expugnandam Babylonem, ex qua honorum aleam procul dubio assequeretur, si se seipsum mutilans ad hostem quasi transfugam conuertisset, hoc imperterritus egit, nàm se se deformissima mutilatione affecit, prorsus cũ id minimi faceret: quippè nares sibi præcidit, auriculasque, comamque deformiter circumtondit, plagas imposuit: atque ita ad Darium perrexit.

34.

Illuſtria facinora ampla mercede remuneranda. 3.p. 224.] *At quis tam liberalis, vt Deus in hac rependēda mercede? Illuſtre facinus Abrahę, & merces ſuperauit.* Gen. 22. 16. Quia feciſti hanc rem, benedicam tibi, & multiplicabo nomen tuum. *At dicamus ſummam ſummi pretii.* Ego ero merces tua magna nimis.

Zopyrum *propter illuſtria facinora, quę perpetrauit*, egregiè remuneratus eſt Darius, cùm dando quotannis quæ apud Perſas ſunt honorificentiſsima, atque alia permulta, tùm tradita Babylone immuni, quoad viueret, in peculiarem portionem.

35.

Mores à pueritia imbuti, difficilè exuuntur. l. 4. p.249.] *Propter quod monet* Ierem. in Threnis c.3.27. Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.

Scyles, quem ab incunabulis Arypithes pater externos ritus & Grecorum conſuetudinem edocuit; his adeo firmiter fuit imbutus, vt poſtquam patri ſucceſſit, Regnumque Scytharum ſubiit, Scythicos tamen mores inuiſos haberet, vt illa demonſtrant. Scyli Regnum Scytharum

rum obtinentu, Scythicus tamen viuendi mos nihil prorsus cordi erat, sed Græcus, in quo fuerat imbutus á puero: ideoque multò magis ad hunc exercendum se conuertebat.

36.

Desciscentes à moribus religionis, puniendi etiã si Principes. p.250.

Apud Scythas bacchandi consuetudo prohibebatur. Verumtamen Scyles Rex Scytharum vt erat Grecis, non Scythicis moribus, imbutus, bacchanalibus sacris initiatus est, nihil pendens instituta Scytharum; Hinc, quasi graui vulnere affecti Scythe, defecerunt á Scyle, delecto in Regem fratre Oetomasade, qui non multum post tempus Styli caput recidit.

37.

Fallax iudiciũ humanũ. l.4.p.252.]

Rectè Psaltes, Mendaces filii hominum in stateris. Psal.61.10.

Oeobazus quidam Persa tres habebat filios, sed ex his rectum neminem, cunctos in malitiam euntes: Quos Darius perdere tentans, Oeobazi precibus, vt vnum sibi ex illis relinqueret, obsecrantis, & modesta petentis, commotus, respondit, se omnes eius liberos relicturum. Eo responso Oeobazus magnopere lætabatur, sperans liberos suos missio-

 nem

nem habere militiæ. At ille præpositos filios Oeobazi, iussit vt omnes eos interimerent. Ita filij Oeobazi obtruncati, illic sunt relicti.

Sapè lætamur ijs, à quibus magni opere affictabimur. vt sup.

38.

Bellum, nisi magna vrgeat necessitas, non adeundum. l.4. p. 264.]

En cur Rex Israel scidit vestimenta sua, & ingemuit legens oblatas epistolas Regis Syriȩ per Aman, vt ipsum curaret à lepra, nam ex impossibili mandato intelligebat, occasionem quȩrere Regem Syriȩ bellum suscipiendi, à quo ipse abhorrebat. 4.Reg.7.

I*Ndathyrsus Scytharum Rex à Dario ad prȩlium vehementer incitatus, ne pugnaret, quantùm potuit restitit, his verbis.* Nobis neque oppida sunt, neque agri culti, quos inuadi, aut vastari metuentes, properemus vobiscum conferre pugnam: ad quam si opus est continuò deuenire, sunt paterna sepulchra, quæ vos cùm nacti fueritis, agedum tentate labefactare: & tunc intelligetis, pugnaturi vobiscum simus pro sepulchris, necne: prius autem (nisi nos ratio traxerit) tecum prœlium non conferemus.

Aua-

Auaritia causa bellorum. vt sup.

Mundo renunciantes auferunt occasiones contentionum. vt sup.

39.

Impijs mandatis non parendum. l.4.p.274.] *Ideòque renuebant Apostoli obedire Pharisæis*. Act.4.19. & 5.29.

N*Egociator quidam Theræus, fuit nomine Themison*: hunc in familiaritatem acceptum, Ethearcus adiurat, vt quam rem oraretur, in ea se ministrum præberet: vbi hominem iure iurando adegit, abductam ei tradidit filiam suam: iubens, vt eã abductam in mare demergeret. Themison ancipiti animo inter nefas operis, & hospitij perfidiam, ita sibi faciendum putauit; accepta puella, mare ingressus, cum in alto fuit, vt iuri iurando Ethearchi satisfaceret, reuinctam funibus puellam demisit in pelagus: ea deinde retracta, Theram peruenit.

40.

Concordia vires auget, & corroborat. l.5.p.290.] *Ideòque commendant* Eccles. c.25.1. & Prou. 18. 19. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.

Apostolus usque non minori zelo. Phil. 2. 1. Rom. 12. 16. & 15. 5. 6.

C*Oncordia vires mortalium tam firmiter auget, vt Herodotus de Thracia asserat inexpugnabilem fore*, si aut vnius imperio regeretur, aut idem sentiret.

41.

In natali hominum plorandum, quia hæc vita plena ærumnis . l. 5. p. 291.] *Ad quod tendit dictum Sapientis.* Ecclesf. 7. 2. Melior dies mortis die natiuitatis.

THrausi in cæteris quidem omnibus idē quod Thraces, verùm circa natalia suorum hoc factitant: Edito puero propinqui eum circumsidentes, comploratione prosequuntur, ob ea mala quæ necesse est illi, quòd vitam ingressus sit, perpeti; humanas omnes calamitates recensentes.

42.

In morte lætandum, quia à malis liberantur. l. 5. p. 291.] *Quid mirum si Apost. exlamaret*: Infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Rom. 7. 24.

IIdem Thrausi hominem fato functum, per lusum, atque lætitiam terræ demandant,

dant, referentes, quòd malis liberatus in omni sit fœlicitate.

43.

Conuersatio fœminarum cum viris, vtrisque periculosa. lib. 5. p. 295.

P*Ersis ab Amynta petentibus, vt fœminas etiam ad prandium cum eis discumbere iuberet, sicuti apud ipsos est: Verùm Amyntas:* Nobis. *inquit*, Persæ, ista consuetudo non est, sed viros à fœminis semouendi: verum, quandoquidē vos exigitis, qui Domini estis, hoc quoque vobis præstabitur. Hæc loquutus Amyntas fœminas accersit. Illæ, vt iussæ præstò fuerunt, & è regione Persarum deinde considerunt. Quas Persæ conspicati formosas Amyntam alloquuntur, negantes omnino id factum esse sapienter. Satius enim futurum fuisse, ab initio nō venire fœminas, quam, postquam venerant non assidere, sed ex aduerso sedere in oculorum dolorem. Ita coactus Amyntas illas assidere iussit. Quę cum obtemperassent, illicò Persæ Mamillas, illarum tractare, vtpotè plusculo vino temulenti, nonnulli etiam tentare suauiari.

44.

Libido causa malorum. l. 5. p. 296.]

Sicut Amon. 2. Reg. 13. 29. *Scit Sanson.* Iud. 16. 21. *Sciunt Gabaonitę.* Iud. 20.

Alexander Amyntę filius, fœminas, quas luxuriosé tractauerunt Persę eius conuiuio discumbentes, in muliebre remisit conclaue: sed iniurię memor hęc agitauit; viros, & iuuentutis flore, & vultus pulchritudine spectabiles muliebribus vestibus exornauit, traditisque pugionibus ad Persas introduxit; Ita singulos Macedonas, quos fœminas esse, aiebant, assidere iussit singulis Persis; qui posteaquam à Persis attrectari cœpere, illos obtruncauere.

45.

Homini repugnanti Dei voluntati, res malè succedit. l. 5. p. 304.]

Ita nauigatio Ionę. Ion. 1.

Dux quidam, nomine Dorieus, Erycis regionem occupaturus, Delphos se contulit ad Oraculum, *interrogans;* numquid ea regione, ad quam mittebatur esset potiturus. Pythia eum potiturum respondit, sumptaque Dorieus classe *in Eryciam regionem vela fecit. Verumtamen opem Sybaritis ferens, cum Crotoniatibus pugnantibus,* contra vaticinia agens, interemptus fuit.

46.

Sagaces etiam aliquando capiutur, pre-

præsertim in casibus repentinis. l. 5. p. 307.

INterrogauit aliquando Aristagoram Cleomenes, quot dierum ab Ionio mari ad Regem esset iter. Aristagoras, alioqui solers, & valdè illum antecellens prudentia, in hoc tamen lapsus est: qui cùm non deberet rem, vt se habebat, ille aperire, volens Spartiatas in Asiam educere, dixit, trium mensium esse iter. Cleomenes interpellata huius, quàm ordiri instituerat oratione, de itineris spatio, inquit, Hospes Milesie, abscede è Sparta ante solem occidentē, nihil enim rationis dicis, quùm istud facilè non sit Lacedæmonijs, qui vis eos trimestri itinere abducere à mari.

47.

Munera facilè corrumpunt mentes. p. ibid.] *Quod accidit filiis Samuelis* Iud. 8. 3. Declinauerunt post auaritiam acceperuntq. munera, & peruerterunt iudicium.

ARistagoras, vt nescio quid sibi à Cleomene adsciceret, quem precibus exorare non poterat, auri vi flectere tentauit; nàm vndecim millia talenta polliceri prius incœpit; mox abnuente Cleomene, eò peruenit, vt si suis precibus annueret, quinquaginta talenta esset alla-

allaturus. Ad quod puella(*filia hęc erat Cleomenis*) pater, inquit, hospes te corrumpet, nisi hinc abis. Consilio puellæ delectatus Cleomenes in aliud conclaue abijt.

48.

Sacerdotibus templa custodienda; ingressùsque indignis non concedendus. l.5. p.314.] *Erat pręceptum Sacerdotibus Hebręis. Recordare Ambrosii Theodosio fores templi claudentis.*

CLeomeni ad occupandam arcem Atheniensium, ascendenti, & ad Dei penetrale consulendi gratia eunti, exurgens è sella Sacerdos, antequam ille valuas referaret, Lacedæmonie, inquit, hospes, retrò redeas, néue templum introeas: non enim Doribus huc introire fas est.

49.

Vbi homines sibi laborant, strenui sunt in agendo, vbi alijs, remissi. l.5. p.317.

IVris æquabilitatem esse rem bonam, non ex vno tantùm, sed vndique datur intelligi: sic Athenienses etiam quam diù tyrannis subiecti fuerunt, nullis finitimorum in bello præstantiores erant: liberati verò tyrannis,

tyrannis, metu omnium primi extitere. Vnde liquet, eos, dùm tyrannis parebant, de industria peccasse, tanquàm domino laborantes; at libertate parta, sibi ipsi quisque rem gerere properabat.

50.

Negocia grauia sapè ad memoriam reducenda. l. 5. p. 329.]

Nouissima in memoriâ idcirco sępe reduci monet Sapiens Eccles. 7. 40. *Quod enim negocium grauius isto?*

D*Arius cum Sardis captas, incensàsq. ab Atheniensibus comperisset habens in animo, eos vlcisci, cuidam famulorum, vt sibi semper, quoties cœnę discumberet, ter diceret pręcepit*. Here memento Atheniensium.

51.

Virtus hospitalitatis hospitali quam vtilis. l. 6. p. 344.

DOlonci Thraces qui Chersonesum tenebant, cùm ab Absinthijs bello vexarentur, Reges suos, vt de bello consulerent, Delphos miserunt. Quibus, Pythia respondit, vt coloniæ in suam terram deducendæ eum authorem asciscerent, qui primus eos templo abeuntes, hospitio inuitasset.

Liberalitas, & hoſpitalitas virtutes Principe digna. vt ſup.

Princeps eligendus virtute dotatus. vt ſup.

52.

Inimicis benefaciendum.l.6.p.347.]
Euangelica doctrina eſt. Benefacite his, qui oderunt vos. Matth.5.44.

P*Hœnices cum Metiochum filium, Miltiadis prælio nauali cepiſſent ad Regem Perſarum perduxerunt*, rati ſe magnam apud eum gratiam inituros: *Quoniam Miltiades in dicenda apud Iones ſententia ſuaſiſſet*, vt Iones Scythis rogantibus ſoluta rate domum abire, obtemperarent. Oblato tamen ſibi Metiocho, Darius tantùm abeſt, vt quicquam mali fecerit, vt per multis eum bonis affecerit. Donauit enim domo, facultatibus, vxore etiam Perſide; ex qua liberi geniti ſunt, qui inter Perſas cenſentur.

53.

Cauendum Principibus in loquendo, quia eorum verba magna ſunt conſequentia. l.6.p.354.

Ari-

ARiston, cùm ei sedenti in Basilica cum Ephoris quidam famulus nuncium nati filii attulisset, sciens, quo tempore duxisset vxorem, deductis in digitos mensibus, dixit cum iureiurando. Hic non est filius meus. Quod audientes Ephori, haud magni fecere impræsentiarum, sed posteaquam puer adoleuit, pœnituit Aristonem dicti, opinantem vbique filium suum esse Demaratum: cui ideo nomen impositum est Demaratus, id est à populo votis petitus: quod ante eum natum, omnis populus vota fecit, vt Aristoni omnium ante id tempus Regum probatissimo, filius gigneretur. Ea de re id nomen impositum est. Interiecto deinde tempore Aristone vita functo, Demaratus obtinuit Regnum: sed videlicet necesse erat, vt id, quod auditum fuerat, hominem Regno priuaret. Ea propter à Cleomene vehementer insimulabatur, cum antea quod ab Eleusine abduxisset exercitum, tum eo tempore quum aduersus Aeginetas cum Medo sentientes traiecit Cleomenes. Ergo ingressus eum vrgere Cleomenes, componit cum Leutychide Menaris filio Agis nepote, ex eadẽ qua erat Demaratus familia, ea pactione, vt si eum Regem in locum Demarati constituisset, se aduersus Aeginetas comitaretur. Erat autem Leutychides Demarato inimicus ob hanc præcipuè caussam, quod quum Percala filia Chilonis, filii Demarmeni ei desponsata esset, Demaratus insidiosè hominẽ

coniu-

coniugio priuauit, praeoccupata, & praerepta vxore, ac retenta. Ob hanc causam Leutychidi inimicitiae cum Demarato extitere. Is tunc Cleomene solicitante contra Demaratum iurauit, negans eum ritè Spartanorum esse Regem, quod Aristonis filius non esset, deinde quod iurauerat institit confirmare: quod Ariston aliquando dixisset, quum ei nunciasset famulus suum filium ei natum, & menses conferens iureiurando negasset illũ esse filium suum. Hinc verbo insistens Leutychides, pronunciabat Demaratum, neque Aristonis filium esse, neque ritè Spartae regnare: eisdem Ephoris adhibitis testibus, qui Aristoni assidentes tunc haec ab illo audierant.

54.

Iusiurandum semper, & apud omnes nationes quanti habitum. l.6.p.354.

A*Getus Alcidis filius, Aristonis amicus, vxorem duxit, cuius* amore titillatus cum esset Ariston, hanc rem commentus est; Ageto sodali suo, cuius illa erat vxor, recoepit, se dono daturum vnam è suis rebus, quamcunque ille optaret; atque illum iussit inuicem simile munus sibi dare. Agetus nihil de re vxoria suspicatus, cum videret Aristoni quoque vxorem esse: accoepit conditionem, & in eam iusiurandum interposuit. Cui mox Ari-

Ariston è suis rebus pretiosis donauit, quam ille elegit. Ipse vicissim, cum eius partes petendi muneris ab illo fuerunt, ibi optauit vxorem eius adferri. Agetus dicere se præter hoc vnum cætera annuisse: iureiurando tamen adactus, ac dolo seductus, ad eam deducendam abijt.

55.

Populi vota prolem impetrant Principi sterili. l.6.p.354.

ARistoni *Demaratum filium subditi votis impetrarunt*. vt sup.

Item hæc faciunt Populi, quando Princeps est probus, cuius probitatis cupiunt heredem. vt sup.

56.

Libido calamitatũ parẽs.l.6.p.364.]
Iam pluribi confirmauimus.

ERat Leutychides Demarato inimicus, ob hanc præcipuè causam, quòd cum Percala filia Chilonis, filij Demarmeni, ei desponsata esset, Demaratus insidiosè hominem coniugio priuauit præoccupata, & prærepta vxore, ac retenta. Ob hanc causam Leutychidi inimicitiæ cum Demarato extitere. Is tunc, Cleomene sollicitante contra De-

Demaratum iurauit, negans, eum ritè Spartanorum esse Regem, quód Aristonis filius non esset, deinde quò d iurauerat, institit confirmare; quòd Ariston aliquando dixisset, cùm ei nunciasset famulus suus filium ei natum, & menses conferens, iureiurando negasset illum esse filium suum. Huic verbo insistens Leutychides, pronunciabat Demaratum, neque Aristonis filium esse, neque ritè Spartæ regnare: Eisdem Ephoris adhibitis testibus, qui Aristoni assidentes, tunc hæc ab illo audierant. *Atque adeo Demarati hostes rei institere, ut & Regno fuerit deiectus, eiusquè in locum Rex factus Leutychides.*

57.

Non fidendum peccare occultè, quia scelera quamuis occulta palam fiunt, & dedecus pariunt. lib. 6. pag. 355.] *Attigimus supra.*

S*Partanis Delphos consulentibus, an Demaratus filius esset Aristonis Spartę Regis, Cleomenes, quemdam nomine Cobonem maxima apud Delphos authoritate subornauit, vt persuaderet Perialla mulierum Vaticinantium Antistiti, dicere, quod Aristonis filius non esset, atque ita de solio Sparta* Demaratus eiceretur. Ita Pythia sciscitantibus ijs, qui ad oraculum erant missi, negauit Aristonis filium esse Demaratum. Quæ tamen res sequenti

quenti tempore palàm facta est, & Cobon è Delphis profugit, & Perialla honore abdicata est.

58.

Aegriùs fertur irrisio, & delusio, quolibet damno. lib. 6. p. 355.

P*Ost quam deiectus è Regno fuit Demaratus, opera Leutychidis*, è Sparta ad Medos profugit; ob hanc contumeliam, quod cùm electus Regno gereret magistratum, adessetquè spectaculo Gymnopediarum, idest, Palæstræ nudorum puerorum, misit ad eum Leutychides in locum Demarati Rex factus, deridendi, insultandiq. causa ministrum, qui interrogaret qualis esset præfectura post Regnum. Eam interrogationem ægré ferens Demaratus respondit, se vtrumque expertum, illum verò non: Et eam interrogationem Lacedæmoniis futuram initium plurimæ aut calamitatis, aut fœlicitatis.

59.

Mundus fallax: nam quando ad voluptates inuitat, tunc iugulat. lib. 6. p. 359.

M*Vndus fallax, vmbra mihi videtur, quòd Argiui, ne ab hostibus Lacedaminijs deciperentur id exequi statuerunt, quòd Lacedamonius*

nius præco denunciasset. Cleomenes autem (*Ductor hic Lacedæmonius erat*) animaduertens Argiuos, facientes quicquid apud Lacedæmones præco denũciaret præcepit suis, vt cum præco denunciaret prandendum, tunc raptis armis tenderent in Argiuos hoc exequuti Lacedæmonij in Argiuos, è voce præconis prandentes impetum faciunt, eorũmq. cùm multos occiderunt tùm plures in lucum Argi elapsos fuga, circumsederunt.

60.

Qui res considerant, easq́ue exactissimè perpendunt, mundi pericula, fraudes perspiciunt; cæteri ignorant, & incidunt in ea, lib.6.p.360.

F*Vgientes Argiui in lucum Argi sese receperunt, quos vbi valida obsidione cinxit Cleomenes, cum Lacedæmoniis singulos ad se* vocabat, atque interimebat. Quod faciens latebat cæteros, qui in fano erant, vtpotè denso luco interiecto, non cernẽtes quid illi extrinsecùs ageret. nisi postquam quidam conscensa arbore, quod fiebat, inspexit, vnde non amplius, qui euocabantur prodiere. *Hæc arbor est consideratio, quæ à Christianis speculatoribus, ascendenda, ad diabolicas fraudes euitandas, quia* frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.

Aua;

61.

Auaritia deformat hominem. lib. 6. pag. 375.

A*Lcmæonem Crœsus quod benè de Lydis meritus esset, tanto auro donauit, quantum ipse semel toto corpore posset educere.* Ad istam doni conditionem Alcmæon hanc astutiam attulit: Per grandem tunicam amictus, ingenti in ea sinu relicto, coturnisq. quos laxissimos reperit calceatus, ad thesaurum perrexit, ad quem ducebatur. Ibi in aceruum ramentorum procumbens primùm cothurnos, quibus erat indutus, auro quantùm ferebant, referfit: deinde omnem sinum suum, atque etiam crines ramentis subigens, & parte in eos desumpta, è thesauro processit, ægre trahens cothurnos, cuius alteri rei, quam huiusmodi similis: *Veruntamen cùm in conspectum Crœsi venisset, magno risui, cachinnisq. ansam præbuit, cùm ore turgidus, auro sinu contecto, grauidus appareret.*

62.

In conuiuijs tentatur virtus hominis. lib. 6. pag. 376. & 377.]
Ideòque monens Sapiens. Prou. 23. Quando sederis, vt comedas cùm Principe &c. statue cultrum gutturi tuo.

C*Listhenes, vt procos experiretur, quorum vni equidem omnium probatissimo Agarista*

riſta eius filia erat deſpondenda, magnificis eos quotidie conuiuiis diſcumbere iubebat, ſcire cupiens, quis nam illis contentior adeſſet, qui eam in vxorem ſuſcipere mereretur, vnde Herodoti verba. Cliſthenes ante omnia patriam ſingulorum (Procorum videlicet) familiamq. percontatur, deinde eos annum, apud ſe detinens,explorauit, vniuſcuiuſque, & virilitatem,& iracundiam,& eruditionem,& mores: nunc cum ſingulis, nunc cum vniuerſis congrediens, & iuniores in gymnaſia educens; præcipuè tamen in conuiuijs e xperiebatur. Quandiù enim eos apud ſe tenuit omnia fecit, ac magnificé accepit. Sed ei inter procos præcipué cordi erant Athenienſes; & illorum magis Hyppoclidem Tiſandri ſtrenuum eſſe iudicabat, cùm præſertim eius maiores Cypſeli Corinthij propinqui fuiſſent. Cùm autem deſtinatus nuptijs dies illuxit,quo ipſe Cliſthenes edixerat, iudicaturum ſe, quem ex omnibus deligeret, mactatis centum bobus, in conuiuium tùm ipſos procos, tùm omnes Sicyonios accepit. Poſtea verò quàm cœnatum eſt proci certamen de muſica habere cœperunt, pariter,& de oratione habenda in medium, procedente autem potatione, Hyppoclides, cùm longè alios antecederet, iuſſit, tibicinem ſibi canere, ſedatum quoddam ſaltationis genus. Tibicine obſequente,ſaltauit, ſibi quidem placens, ſed Cliſthenes omnem rem cernens diſſimulabat.Poſt hæc aliquantulum interquieſcens Hyppoclides,iuſſit aliquam

ſibi

ſibi inferri menſam; qua illata, primum ſuper eam Paconicos ſaltauit modulos, mox alios Atticos; tertiò ſuper menſam capite ſtatuto, cruribus, veluti manibus, geſticulabatur. Ad cuius primam, ac ſecundam ſaltationem, & ſi ſtomachabatur Cliſthenes, eum, qui tam impudens eſſet, generum ſibi fieri, tamen ſe ſe continebat, nolens in eum erumpere; at vbi vidit cruribus, veluti manibus geſticulantem, iam ſe vltrà continere non ſuſtinens, inquit, fili Tiſandri, deſaltaſti matrimonium.

Cauenda in conuiuijs crapula, quæ diſſolutionem parit. vt ſup.

63.

Homines, antequam periculo vitæ ſe exponant, vt præſertim in bellis aggrediendis, debent conſulere ſuis rebus. lib. 7. p. 382.

D*Arius expeditionem ſumere properabat aduerſus Aegyptios, atque Athenienſes* Dum autem hæc comparat, interea ingens inter eius liberos de principatu exorta diſſenſio eſt, quoniam ex inſtituto Perſarum, oportebat, ita demum ire in expeditionem, cum Regni ſucceſſorem declaraſſet. Itaque Xerxem ex Atoſſa *genitum Regem Darius declarauit, qui dum cum cæteris fratribus de Regno contendebat, digniorem ſe eſſe qui regnaret, aſſeruit quod ex Da-*

rio Rege, non priuato sicut cæteri fratres ortus fueri.

64.

Bonum consilium ab amico opportunè acceptum, plurimi valet. lib.7.p.433.] *De hoc fortasse Sapiens* Prou. 15. 23. Sermo opportunus est optimus.

Darii liberis inter se dissentientibus, quisnam Patris Regnum, expeditionem ineuntis, susciperet, liberorum quemdam nomine Xersem electum fuisse Regem perhibetur, quòd Demarati, Aristonis filii consilio acquieuerit: Hic enim cæteros liberos ex Dario, nondum Rege, sed priuato, Xersem verò iam Rege ortum fuisse suggesserat.

65.

Consiliarij Principum magis propriam, quàm illorum respiciunt vtilitatem. lib.7. p.383.

Xerse in Rege electo, Mardonius consobrinus eius Etobriæ, & sororis Darij filius, eum audiens; his verbis est alloqutus. Domine, haud decorum est, Athenienses, tam malè iam de Persis meritos, non dare poenas eorum, quæ perpetrauerunt. tu verò quod in manibus habes, perfice: Tamen, vbi Ægyp-

Ægyptum, quæ dignitati tuæ iniuriam fecit, domueris, sume aduersus Athenas expeditionem: vt & benè de te loquantur homines, & post hac abstineat alius à bello tibi inferendo. Et hæc quidem erat ratio vltionis exigendæ: illa autem rationis accessio, Europam esse regionem admodum speciosam, omniaq. genera fœlicium arborum ferentem, ac summæ bonitatis, & dignam, quæ à solo inter mortales Rege possideatur. Hæc Mardonius dicebat, vt iuuenis, ac nouarum rerum cupidus, Imperijq. Græciæ pro Rege administrandi. Quòd etiam Regi persuasit conditione temporum adiutus.

66.

Audienda sententia inter se discrepantes, sed ea approbanda, quæ vera est, ideòque plurimum valent concilia ad aliquid statuendum . lib.7.p.387.

CVm de bello agendum esset, quod Xerses Atheniensibus inferre volebat, cunctos ad se Persas præstantissimos accersiit, vt eorum sententias audiret, nàm nisi diuersæ inter se sententiæ dicantur, non potest quis eligere meliorem, sed necesse habet ea, quæ dicta est, vti, aut cùm plures dictæ sunt, licet tanquàm aurum purum, deligere; quòd per se discerni cùm nequeat, comparatum cum altero discerni potest.

67

Bonum consilium magni faciendũ, etiam si euentus accidat aduersus . lib.7.p.388.

ARtabanus Histaspis filius, cùm consilium esset ineundum, an bellum Atheniensibus inferri deberet, admonuisse Xersẽm de bono cõsilio fertur. Benè enim consultare, comperio maximum esse lucrum; nàm etiam si quid è contrario euenturum est, nihilo tamen minus benè consultum est, superauitq. fortuna consilium.

68.

Prosperitas, & Principatus magnis subiacent periculis . lib.7.p.388.

IDem Artabanus, vt prosperis aduersa, Principatui magna imminere pericula ostẽderet his Xersem alloquẽs, ait. Vides, vt prægrãdia animalia fulmine Deus ferit, nec finit insolescere; parua verò nihil lædit? Vides, vt magna semper ædificia, magnasq. arbores huiusmodi fulminum tela percutiunt? Gaudet enim Deus eminentissima quæque deprimere. Vnde, & ingens exercitus ab exiguo profligatur, quoties Deus ijs, quibus inuidet, aut metum incutit, aut tonitruum: Propterea quidem secus, ac dignitas sua postulabat, in ca-

calamitatem inciderunt, quia Deus neminem alium, quàm se ipsum sinit magnificè de se sentire.

Superbi à Deo humiliantur. vt sup.] *Cecinit Deipara.* Luc.1.52. Deposuit potentes de sede.

69.

Cunctari in concilio vtile est, properare noxium, nam multos parit errores. lib.7.p.388.

A*Rtabanus Xersi*. Omnis res properando parit errores, vnde magna detrimẽta fieri adsolent: in cunctando autem bona insunt, si non talia, quæ statim videantur esse bona, certè quæ suo tempore bona quis esse comperiat.

70.

Quot mala in detractione. lib. 7. pag. 388.

I*Dem Artabanus, vt Mardonem, incusaret stultè de Græcis loquentem, atque detrahentem, vt ad bellum iis inferendum Xersem accenderet, de detractione sic loquitur.* Detractio namque importunissima res est: in qua duo sunt qui iniuriam faciunt, vnus, cui iniuria

fit; Qui enim detrahit, iniurius est, quòd non præsentem accusat; item qui huic credit, iniurius est, quód prius credit, quam rem compertam habeat. Et illi, cui absenti detrahitur, ob id fit iniuria, quòd ab altero insimulatur vt malus, ab altero talis putatur.

72.

***Adulatores deprauant Principes bonos*. lib.7.p.391.] *Quid de Ioiada?* 2. Paralip.24. Ingressi sunt Principes Iuda, & adorauerunt Regem, qui delinitus obsequijs eorum acquieuit eis, & dereliquerunt templum Domini.**

Xerses cùm statuendum esset, an bellum Athenis admouendum; licèt ipse optimè cognosceret, non admouendum, tamen nescio quò fato videbatur impelli ad prauorum hominum colloquiis assentiendum, vnde quis ait. Apud me rex tandundem valet benè sentire per se, & alteri bonam dicenti sententiam accedere; quæ ambo tibi cùm adsint, malorum tamen hominum colloquia te deprauant: Quemadmodum mare, quod est hominibus omnium vtilissimum, ferunt, ab ingruentibus ventorum flatibus, non sini natura sua vti.

73.

***Somnijs non præstanda fides, & quare*. lib.7.p.391.**

Xer-

XErses cum sententiam reuocare cœpisset, de expeditione aduersus Græcos sumenda: in somnis vidit virum ingenti corpore procerum, his dictis vltrò increpantem. Reuocasti ne sententiam Persa de inferendo Græciæ bello, cum prædixeris Persis, te comparaturum esse exercitum? neque si reuocaueris eam, benè facis, neque qui tibi assentiatur, adest. *Verumtamen quòd magnam his insomniis fidem præstaret Xerses, Artabanus regio sanguine inclytus, vir grauis, & leuia parum faciens his aggredi dictis, vt à somni fide auerteret, non dubitauit.* Nunc autem cum ad te, mutato in melius consilio, de sumenda aduersus Græcos expeditione, ais, accessisse in insomnium, alicuius Dei nutu, quod te vetat dimittere exercitum, hoc non res diuina est, Fili. insomnia enim ista sunt, quæ adeuntia homines frustrantur, quemadmodum ego te docebo, multis, quàm tu annis natu grandior. Consueuerunt ipsa somniorum visa plerumque frustrari ob ea quæ quis per diem mente agitauit.

74.

Duce, seu Rege pugnas laboresq. subeunte, militi non licet otiari. l. 7. p. 399.] *Hanc conuenientiam adeo percipiebat bonus ille miles Vrias, vt omnia Dauidis argumenta, eum minimè conducere pos-*

sent in stratum, & sinum vxoris; aiebatq. Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam hanc rem. 2. Reg. 11. 11.

Q*Vinque erant Pythio cuidam filii, quos omnes expeditionem aduersus Græciam sumens in milites sibi Xerxes adscripserat. Quare uehementer Pythius indoluit, vt erat vir ætate iam grauis, muneraq. Xerxi offerens, vnum sibi ex omnibus relinqui rogauit;* Rex ob id admodum indignatus, his verbis respondit, Homo improbe, tùnc, cum ego ipse in expeditionem eam aduersus Græciam, filiósque meos, & fratres domesticos, & amicos ducam, ausus es mentionem filij tui facere, qui meus es seruus, quem oportebat cum omni familia, & vxore me comitari? Probe nunc discito hoc, animũ in hominũ habitare auribus. Qui benè audit, eius corpus, voluptate perfunditur: qui veró malè is exacerbatur. Tu itaque cùm benè fecisti, & alia eiusdem generis promisisti, non gloriaris te supergressum esse regem munificentia: postea verò quàm ad impudentiora conuersus es, non tu quidem prò merito, sed minora, quam pro merito accipies: nam te, & quatuor liberos, liberant tua munera: vnius autem quem præcipuè complecteris, damno mulctabere. Hæc cùm respondisset, subitò im-

pe-

perauit ijs, quibus delegatum erat, ista exequi, vt maximum natu filiorum Pithij inuentum discinderent medium: eiusq. discissi dimidium ad dexteram viæ & dimidium ad sinistram disponerent, & illac transiret exercitus.

75.

Lætitia mundi breuis. l.7. p.401.]

Quam benè Iob 20. Gaudium hyppocritæ ad instar puncti.

XErxi Persarum Regi, cupido quandoque incessit omnē oculis exercitum subiiciendi. Erat enim potens tùm virtute militum, tùm gentium multitudine. Itaque in prætorio quodam, quod ei Abydeni prius ab illo iussi è candido lapide in tumulo pro dignitate exstruxerant, residens prospiciebat littus, & illic terrestres copias, atque classem. Quā dum intuetur, subijt eum cupiditas spectandi naualis certamen. Id certamen post quam commissum est, in quo Sidonij vicere, voluptatem Xerxes cœpit cùm certaminis, tùm copiarum spectaculo. Et cùm intueretur omnem Hellespontum nauibus obductum, omnia littora atque Abydenorum plana hominibus referta, ibi se beatum esse iactauit, & post hæc lachrymas fudit. Quod animaduertens Artabanus eius patruus, qui primò liberè dissuaserat bellum Græciæ inferendū, his verbis interrogauit. Quàm diuersa, Rex, inter se nunc facis, & dudum dixisti. Qui te

beatum eſſe dixeras, nunc lacrymas fundis? Et ille; Reputantem me, inquit, quàm breuis ſit omnis humana vita, ſubijt horum miſeratio: quorum, cum tot ſint, nemo ad centeſimum annum ſupererit.

76.

Vita hominis breuis. lib.7. p.401.]

Vt ſup. nam ait Dauid. Homo ſicut fœnum, dies eius, tanquam flos agri ſic efflorebit, Pſal. 102. 5. *Simili modo philoſophabatur*. Iob c.14.2. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra.

77.

Item calamitoſa. lib.7. pag.401.]

Teſte eodem Iob. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs.

A*Rtabazus Xerxi reſpondēs de humana vita calamitatibus conquerentem, de eadem haud aliter ſentiens*. Atqui, inquit, alia, quàm iſtud eſt, viuendo miſerabiliora patiamur. nam in tam breui vita nullus hominum adeò fœlix extitit, neque horum, neque aliorum, cui non crebro, ne dum ſemel, ſubitura ſit animo moriendi voluntas potius, quàm viuendi. Incidentes enim calamitates, & morbi, vitam perturbant: efficiuntqué, vt quum breuis ſit, tamen per longa videatur. Ita mors optatiſsimum eſt perfugium ærumnoſæ vitæ, quàm Deus dulci

g uſtu

gustu aspergens, ob id inuidius facere deprehenditur.

78.

Deliberans esse debet tardius, & omnia expauescens. Exequens verò promptus, & nulla formidans. l.7.p.402.

Artabazus. At vir ita demum fuerit optimus, si in deliberando quidem, omnem rem quamcunque pati possit, reputans extimescat, in re autem agenda sit audax.

79.

Qui in deliberando nimium dubitat, nihil ad finem ducit. lib. 7. pag. 402.

Idem Artabazus, ut deliberantem exactissimè instruat, ait: Nàm si velis semper in rei consultatione semper omnia perinde considerare, nunquam aliquid efficias.

Item lib.7.pag.403.

Scire verò aliquem (cum sit homo) qua ratione, quid firmatum esse oporteat, nequaquam arbitror. At ijs qui facere quid volunt, consueuit plerumque succedere emolumentum, rarò autem ijs, qui pensant omnia, & quos agere piget.

80.

Damnatur nimius timor in agendis . lib.7.p.402.

Q*Vamuis deliberanti timere fas sit, hoc tamen agenti non conceditur, vt illa*. Satius enim omnia alacriter aggredientem dimidium ærumnarum pati, quàm omni in re præsumpto metu nihil omnino pati.

81.

In consilium vocati debent veritatem Principi aperire, etiam si ei iniucundam. Princeps autem debet libenter audire, etiam si ingratam. lib.7.p.415.

D*Emaratus Xerxem alloquens*: Vtra, inquit, apud te Rex vtar? veritate, ne an iucunditate? Ille, vt veritate vteretur iubere: neque enim sibi ob id eum minus iucundum fore, quàm antea fuisset. Hoc vbi Demaratus audiuit: Quoniam, inquit, me iubes rex, omnino veritatem proloqui, ea dicam, quæ nemo, nisi mentiens apud te posteà carpet.

82.

Principibus adulatio grata, veritas odio-

odiosa . lib. 7. p. 416.] *Sic odiosa fuit Holoferni vera relatio, quam ei dedit populi Hebræi Dux filiorum Ammon Achior*, Iudith. c. 5. & 6.

C*Vm vera apud Xerxem exposuisset Demaratus, nihil suscipere meruit, præter cachinnos, vnde intelligebam, inquit*, rex ab initio me vera dicentem, non iucundum tibi futurum: sed quia tu dicere me verissima coegisti, dixi, quæ erant è dignitate Spartanorum. Quanquam ipse optimè intelligis, quantopere, nunc illos ego amem, qui me honore, & dignitione paterna exutum, extorrem, profugumq. fecerunt: quem pater tuus exceptum, victu, ac domicilio donauit.

83.

Status liberus cuilibet alteri praeferendus. lib. 7. p. 425.

V*Iri quidam Spartiatæ interroganti Hydarni, vt se dederent Xerxi*; Hydarnes, inquiunt, non ex æquo consilium tuum ad nos spectat, atque ad te, qui conditionis quam suades, expertus es, nostræ inexpertus, nam eam quidem nosti: libertatem autem non dum expertus es, vtrum sit dulcis, an non; quæ si tibi experta foret, non vt hastis, sed vt securibus pro ea dimicaremus, nobis suaderes.

Item

Item pro ea quocunque periculo pugnandum. vt sup.

84.

Legatos inimicorum violare, ius gentium violare est. l.7. p.425.

XErxes præ magnanimitate negauit, se fore Lacedæmonijs similem. Illos enim interimendis legati ius omnium hominum confudisse: se verò quod illis exprobraret, id non esse facturum: neque eos occidendo, Lacedæmonios culpa soluturum.

85.

Rem bono consilio gestam, bonus manet exitus. lib.7. p.435.

G*Ræcorum legati à Gelone Tiranno auxilium petentes, quòd præstando semetipsum tutari aiebant, ita dixerunt*. Rei bono consilio gestæ, lætus plerumque est exitus.

86.

Quanta imperandi ambitio in hominibus. lib.7.p.436.437.

A*Theniensibus auxilium à Gelone petentibus, ille se allaturum promittebat, si exer-*

exercitus ipse Imperator constitueretur, aliter neque ipse ire, neque exercitum mittere volebat; idem Gelon cum clauam summi Imperatoris exercitus Athenensium obtinere non posset, ita respondit. Sed quando vos imperium amplectimini, multò me magis, quàm vos debet illud amplecti, qui multò maiorum copiarum, ac plurium nauium Imperator sum. Cæterùm, quoniam ista oratio vestra in contrarium nititur, nos aliquantum à superiore nostra oratione recedemus: Si vos terrestribus copijs præfueritis, ego nauticis præero: sin vos mari imperitare iuuat, ego terrestribus copijs imperitare volo.

87.

Viribus imbecilles necessitate premente se opponere non tenentur imò cedere fortioribus. l.7.p.441.

T*Hessalis necessitate subactis, nuncii missi sunt ad Græcos, qui dicerent auxilium conferendũ ad Olympicum ingressum custodiendum; alioqui opus esse viribus, non sufficientibus deficere, sèq. hosti tradere:* Nulla namque *(vt aiebant)* fortior necessitas est, quàm imbecillitatis.

88.

Tantum est virtutis pretium, vt ea præditus etiam apud hostes in veneratione sit. l.7.p.444.

Py-

PYthius Ischenei filius, vir fuit, bellica virtute præstantissimus; Qui capta naui tamen eousque pugnando restitit, donec totus dilaniatus est; quem collapsum non mortuum, sed spirantem, Persæ qui nauem ceperant admiratione virtutis magnum operę pretium putauerunt, vt seruarent, vulnera Smyrna medentes, syndoneque byssina & fascijs obligantes. Ac rursus in castra sua reuersi, hominem vniuerso exercitui ostentabant, admirabundi, ac probe obseruantes; cùm alios, quos in eadem iam naui ceperant, tanquam mancipia adseruarent.

89.

Magnis viris magna insunt mala.
lib.7.pag.451.

GRæci vt suos milites iam iam eum Persis confligentes animarent, aiebant, *Xerxem nullum debere incutere timorem, quamuis Regum maximus sit*, Et vt quisque maximus est, ita ei deberi maxima.

90.

Intestina seditio deterior bello.
lib. 8.pag.464.

HErodotus, *de seditione loquens, ait*. Nam intestina seditio tanto deterior est bello,

lo, quod concorditer geritur, quanto bellum deterius est pace.

91.

Ambitio, & contentio pestes Reipublicæ. lib.8.pag.464.] *Quę ne grassarentur in Apostolica, & Christiana, quando, vt ait* Luc 9.46. Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset, *Cœlestis Medicus statim curauit.* At Iesus &c.

A*Gitatum quandoque sermonibus fuit apud Græcos, rem nauticam Atheniensibus tradere administrandam*: cæterùm recusantibus socijs cessere Athenienses, quod magni facerent Græciam superesse; quam intelligebant esse perituram, si de Principatu contenderent: rectè sentientes.

Concordia quam vtilis Reipublicæ? vt sup.

Propter pacem quandoque cedendum suo iuri, imò & aliqua iniuria ferenda. vt sup.

92.

Fortes sunt, qui non alio præmio quàm virtutis demicant. lib. 8. pag. 471.472.

Ti-

TIgranes audiens à perfugis Arcadia, qui ad Xerſem venerant, non aliud proponi præmium illis, qui in olympiis victores extitiſſent, quàm oleaginam coronam, ſurgens, exclamauit. Papæ Mardoni, iniquos viros induxiſti nos ad pugnandum? (*Mardonius enim ad agendum cum Græcis bellum, Xerxem inflammauit*) qui non pecuniarum certamen agitant, ſed virtutis?

93.

Quàm fallacia humana iudicia, & ex primo rerum aſpectu. lib. 8. pag. 490.] *Ideóque cœleſti monito*, Nolite iudicare ſecundum faciem. Ioan. 7. 24.

ARtemiſia Perſarum Dux, cùm nauem ſuā Attica inſequeretur, & antea naues amicorum præcederent, nullum habens effugium, in ſociam nauem irrupit; atque ita factum eſt, vt hoſtes à perſequendo deſiſterent, nam Trierarchus Atticæ nauis eam conſpicatus incurriſſe barbarorū virorū nauem, exiſtimans hanc Artemiſiæ nauem, aut Græcam eſſe, aut è barbaris profugiſſe, & à Græcis pugnare, ab hac, ad alias ſe conuertit.

Item.

Cum nauis Artemiſia Atticam fugiens (neceſſitate coacta) in amicorum nauim impegiſſet, quidam eorum, qui ad ſpectandum aderant. Ar-

Artemisiam cùm hoste confligere, eiusq. nauim non Calyndensium deprimere putans, sic Xerxes est alloquutus. Cernis Artemisiam, Domine, vt bene præliatur, vtquè nauem hostilem depresfit? & regem interrogasse, numquid veré id opus Artemisiæ esset; & illos, vtpotè qui plane nossent insigne nauis Artemisianæ, ita, rem habere adfirmasse, ratos eam nauem, quæ corrupta esset, hostilem fuisse.

94.

Inobedientes filios, parentes seuerè punire debent. lib.8.p.502.

R*Ex quidam Bisaltearum sex filios habuit. quibus omnibus præcepit, né cum Xerxe in Græciam militarent.* Illi patre contemptui habito, siue alioqui belli libidine inspiciendi, militauere cum Xerxe. qui postquam incolumes reuerterunt omnibus Pater ob eam causam, oculos effodit.

95.

Nullum malum occultè perpetrari potest, quod semel non reueletur. lib.8.p.505.] *Confirmauimus supra ex* Luc. 12.

A*Rtabazus Potidaam obsidens cum Timoxeno, de facienda proditione transegit hoc modo.* Quoties exaratum libellum, aut Timo-

mo-

moxenus ad Artabazum, aut Artabazus ad Timoxenum mittere volebat, eum sagittæ postremò inuoluebat, adaptatisque desuper pennis, ad locum de quo conuenerat, sagittam emittebat. Sed Timoxenus, qui Potidæam prodebat, proditionis compertus est. nam Artabazus ad conuentum locum sagittam dirigens, frustrante iactu, humerum cuiusdam Potidæatæ percussit; ad quem saucium turba (vt adsolet in bello fieri) quum concurrisset, subitò reuulsa sagitta, animaduertens libellum, detulit ad Magistratus. *Atque ita detecta proditio.*

96.

Cum infidelibus, vel iniquis, contempto quocunque respectu, societas non ineunda. lib. 8. p. 511.]

Quod non fecisset populum Hebræum pluribi apparet in veteri testamento.

A*Thenienses cum barbaris societatem inire nolentes, Alexandro roganti ita responderunt.* Vt autem societatem cum barbaro contrahamus, neque tu persuadere tentes, neque nos, si tu tentaueris persuadebimur.

97.

Quanti habita semper apud homines mortuorum sepultura l. 9. p. 520.]

Vnde seuerissima fuit illa comminatio facta

Ioa-

Ioachim filio Iosiæ Regis e *Iuda per* Ierem. c. 22. 19. Sepultura asini sepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas Ierusalem. *At quæ maior comprobatio: Christus de quo dictum* Ier. Tren. 8. Saturabitur opprobriis, *tamen in sepultura noluit ea sustinere, sed ait* Isai. 11. Et erit sepulchrum eius gloriosum.

M*Asistius vir inter Persas strenuissimus cum Atheniensibus pugnando confligens, equo vulnerato, & præ dolore in pedes erecto, excussus è dorso est.* Collapsum confestim, Athenienses circumsistunt: equòque præhenso, hominem sese defensantem interimunt, cum aliquandiù non potuissent. Ita enim erat armatus, scilicet intus gerebat thoracem, aureis squammis consertum, desuper phœniceum paludamẽtum. Eius thoracem cùm ferirent, nòn priùs aliquid profecerunt, quàm quidam re animaduersa illum percussit in oculo. Ita Masistius collapsus interijt. Hæc autem res latebat alios equites; non enim eum ab equo cadentem viderant, aut occumbentem; ac ne tum quidem, cum se recipiebant, quod actum erat cognouere: sed post quam constitere, quia nemo ipsis imperabat, statim desiderauerunt ducem: cognitòq. quod gestum erat, mutuo se adhortati, omnes in hostẽ equos admisere. *Quod ideo agere conabantur, ne Dux apud Persas honoratissimus, sine honore iaceret, decore sepultura orbatus.*

Ea-

98.

Fugienda contentiones, etiam cedendo suo iuri. lib.9.p.523.

Athenienses cum Tegeatis de loci dignitate contendentes, quorum alter, hoc est, in belli area digniori in loco collocari deberent, post multa verba sic responderunt. Verum non decet in hac rerũ conditione de loci dignitate contendere; vbicunque, & iuxta quoscunque vobis Lacedæmonij videbitur appositissimũ nos stare, illuc euntes obtemperabimus. Vbicunque enim loci nos collocati fuerimus, conabimur strenui existere.

99.

Adulatores instigantes Principem ad malum, ab eo seuerè puniendi, vel saltẽ redarguendi. l.9.p.488.]

In hoc Dauid pluries refulsit. 2.Reg.1.14. & 4.10. *etiam* 1.Reg.24.8. *Quando in spelunca Engaddi*, Confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos &c.

Lampon assentatorum non vltimus, vt Pausaniæ placeret, his eum dictis aggressus est. Fili Cleombroti, rem tu mirificam, & magnitudine, & fulgore gessisti, cui Dij tribuerunt vt liberata Græcia, omnes quos nouimus Græcos gloria supergredereris.

Quod

Quod superest in hac re, agas, ita vt, & tu maiore fama celebreris, & aliquis barbarorum post hac caueat nefanda facinora perpetrare in Græcos. Leonidæ apud Thermopylas interempti reciso capite Mardonius, ac Xerxes, truncum in crucem sustulerunt: quibus si vicem reddes, laudem nanciſceris, primum ab omnibus Spartiatis, secundò loco ab vniuersis Græcis, siquidem suffixo Mardonio Leonidam patruum tuum fueris vltus. Hæc Lampon, gratiam se initurum ratus apud Pausaniam dicebat: Cui respondens Pausanias, tuam, inquit, Hospes Ægineta, beneuolentiā, atque prouidentiam amplector: tamen ab æquitate iudicandi deerras: Nam & me, & patriam, quos in altum extulisti, ob hæc gesta ad nihilum redigis, cum suades mihi sæuire in mortuū, aisq. me auditurum melius, si istud fecero, quod Barbaros decet potiùs facere, quàm Græcos, quodque in illis exprobramus. Quare ego, neque Æginetis, neque ijs, quibus ista probantur assentior: contentusque sum Spartiatis placere; vt honestè agā, honestéq. dicam. Leonidæ autem, cui me iubes parentare, affirmo, Et ipsi, & cæteris, qui apud Thermopylas occubuerunt, magnificè esse parentatum, innumerabilibus horum funeribus. Tu verò, post hac ad istud consulendum ne me adieris: quod tibi impune esse, loco beneficij ponas.

***Vltio indecora, præsertim in mortuum*. vt sup.**

100.

***Pro beneficio accipiendum pœna condonata*. lib.9.p.542.**

P*Ausanias Lampones, quod infamia perpetrare eum consuleret, sic est alloquutus*. Tu verò post hac ad illud consulendum ne me adieris : quod tibi impune esse, loco beneficij ponas.

101.

***Innocentes non sunt puniendi pro delictis aliorum, nec filii pro parentibus*. lib.9.p.545.]** *Merito Dominus conqueritur in* Ezechiele 18.1. *quasi iniustus prædicetur*. Quid est, quod inter vos parabolam vertitis in prouerbium istud in terra Israel, dicentes, Patres comederunt vuam acerbam,& dentes filiorum obstupescunt? Viuo ego, dicit Dominus &c. anima quæ peccarit, ipsa morietur.

A*Rtagini liberi tanquam rei patris crimine, cum Thibę obsidione vexarentur, ad Pausaniam adducti fuere*, quos hic absoluit ne-

negans pueros (*quamuis pater fuisset*) factionis Medi esse participes, *contra Graecos excitare*.

102.

Vnus amor alium, recensque veterem pellit. lib. 9. pag. 552.

SArdibus agẽs Xerxes adamabat vxorem Masistis, quæ & ipsa illic erat. Et cùm potiri non posset, neque donis missitandis, neque vi, quam afferre nolebat, fratris Masistis respectu: (quæ res, & mulierem retinebat, probè gnaram, non se coactum iri vi) ibi Xerxes cæteris prohibitus, huc euasit, vt filio suo Dario in matrimonium daret filiam huius mulieris, ac Masistis, existimans, si hoc fecisset, commodius se illa potiturum. Contracto matrimonio, aliisq. ex consuetudine celebratis, Susa profectus est. Eo postquam peruenit, & vxorem Dario domum duxit, ita demum ab vxoris Masistis amore cessauit adamata ex familiaritate Nurus Masistę filia, cui nomen erat Artayntæ.

103.

Ad pertractanda negotia tempus & opportunitas obseruanda.

lib. 9. p. 553.] *Quod monet* Eccl. 8. Omni negocio tempus est, & opportunitas.

A*Mestris Xerxis vxor, vbi amiculum, quod ipsa texuerat, Artayntam habere comperijt,*

rijt, ei à coniuge suo dono datum, Xerxem Artaynta amore correptum, rata (nec frustrà) vt vlcisceretur, non in puellam, sed eius in matrem odium concepit. Obseruato itaque tempore, quo vir suus Xerxes regalem instrueret cœnam, quæ cœna semel quotannis eo die, quo Rex creatus est, instruebatur, Amestris à Xerxe petijt, vt se Masistæ vxore donaret. Xerxes id indignum factu, nefariumq. arbitrari, vxorem germani dono dari, eamq. insontem negocij illius, cuius causa vxor sua eam flagitaret. Tandem huius precibus euictus, & instituto, quo nefas est regia cœna proposità orantem, non exorare, inuitus admodum annuit: tradensq. vxori, ac iubens facere quod liberet.

104.

Quam infernale odium muliebre, vt supra.



DIONY-



DIONYSIVS

HALICARNASSÆVS

ABRASVS,

&

CIRCVMCISVS

[illegible]


[illegible]

[illegible]



DIONYSIVS HALICARNASSEVS

Abrasus, & Circumcisus.



1.

***Tribulationes, & necessitates reddunt hominem virtute prastantem*. lib.1.pag.10.] *Verè igitur Dauid* Psal.4.2. In tribulatione dilatasti mihi.



Pelasgi, quód vitam inter bellicosas gentes periculis exercitam egissent, rerum bellicarum præstantia multos alios populos superabant, maximâ quoque naualis disciplinæ notitiam habebant, quod cum Tyrrhenis habitasent: atque necessitas, quæ hominibus, quotidiani victus inopia laborantibus, audaciam facilè præbere potest, in omnibus periculis dux, & magistra ipsis fuit: quamobrem quocunque delati fuissent, victoriam non ægré reportabant.

***Necessitas audaciam parit*.** vt sup.

2.

Ad mutandam populi consuetudinem, quàm difficillimum, est cau-

tè, & discretè agendum. lib.1. pag.16.

I*N Italia(aiunt) Priscos illos homines victimas humanas Saturno immolare cõsueuisse;* Herculem verò, cum istum sacrorum morem abolere vellet, & aram fundasse in Saturnio colle, & Authorem fuisse, vt hostiæ sanctæ puris ignibus adolerentur: Vt autem nihil in hominum animis remaneret, quod eos turbaret, quasi patria sacra neglexissent illius regionis incolas docuisse, ad iram huius Dei placandam pro hominibus, quos pedibus,manibusq. vinctos in Tyberis profluentem iaciebant, simulacra ad humanæ figuræ similitudinem efficta. & eodem, quo homines habitu ornata in fluuium proiicere, vt quicquid religionis in omnium animis vnquam resedisset, euelleretur, quòd Prisci ritus imago adhuc seruaretur.

3.

Quod religiosius obseruandum in ijs, quæ ad Religionem spectant.

vt sup.] *Obseruarũt Apost. quia propterea videbantur aliquantulum Iudaizzare prϛsertim Petrus. Obseruarunt etiam reliqui S. Pontifices in nascente Ecclesia.*

Cu-

4.

***Custos non debet dormitare*. lib. 1. pag. 17.]** *Idóque* Psal. 120. 4. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.

S*Trato Geryone, Hercules eius boues abigens,* dum rediret domum, cùm in multas alias Italiæ partes iuit, tum etiam in Aboriginum agrum Palantio proximum: cum autem in eo magnam boni pabuli copiam ad boum armenta pascenda inuenisset, boues in pascua dimisit; at, ipse laboris onere grauatus decubuit, somnóq. se dedit. Interea verò, quidam illius regionis latro, nomine Cacus, incidit in boues, quæ sine custodia pascebantur, earũq. amore captus est. Et cũ Herculem sopitum animaduertisset, existimauit totum armentum à se clam abigi non posse; simul etiam rem factu difficilem esse vidit. Sed paucas aliquot de ipsis in antrum proximum, vbi vitam degebat, abdidit: easq. singulas per caudam eò traxerat auersas contra naturam incessus huius modi animalium.

5.

***Astuti, astutia capiuntur*. l. 1. p. 17.]** *Quod voluit* Iob c. 5. 13. Qui apprehendit Sapientes in astutia eorum. *Huc facit etiam quod ait* Eccles. 27. Facienti nequissimum consilium super ipsum deuoluetur.

C*Acus cùm Herculis boues abegisset, caudaq. in speluncam traxisset*, hoc modo furti indicium celatum iri sperabat, quod pedum vestigia quærentem in contrariam partem manifestè ductura essent: Hercules verò paulò post somno excitatus, cum numerum boum recensuisset, & cognouisset. quot armento deessent, aliquandiu quidem dubitauit, quonam iuissent, & quasi à pascuis aberrassent, per eam regionem eas quærebat. Sed quum eas non inueniret, ad spelnncam perrexit, & quamuis ipsum vestigia suspensum, ac incertum distinerent. nihilominus tamen locum illum sibi perscrutandum esse duxit. Verùm, quia Cacus pro foribus stabat, & roganti se eas vidisse negabat, eiq. speluncæ perscrutandæ potestatem petenti permittere nolebat: sed vicinorum fidem, & auxilium implorabat, quasi grauem iniuriam ab hospite acciperet. Herculi consilij inopia laboranti, & quomodo in ea re se gerere deberet, nesciente, tandem in mentem venit, cæteras boues ad speluncam agere. Quum autem, quæ inclusæ erant vocem, & odorem consuetum sensissent, illis, quæ extra erant, mugitu responderunt, ipsarumq. vox furtum indicauit. At Cacus, in manifesto maleficio deprehensus, ad vim propulsandam se conuertit, & cæteros pastores socios suos conuocare cœpit: sed Hercules illum claua percussum interfecit, & boues eduxit; &, quia locum illum, valde commodum Latronum re-

receptaculum, videbat esse, speluncam suo pedo diruit.

6.

Non solùm mala, sed occasiones malorum auferendæ. ibid. vt sup. in fine.

7.

Item non solum latrones, sed eorum asyla, vt sylua, & antra destruenda. vt sup.

8.

Pro acceptis beneficijs, gratias Deo exhibendas esse, & sacrificium, ipsa natura docet. ibid.] *Non mirum igitur* si mane surgens Iacob *(post liberalissimam illam visionem in somno)* tulit lapidē, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulū fundens oleum desuper. Genes. *Et Noe egressus de arca post diluuium*. ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare.

V*Bi Cacum Hercules claua percussum interfecit, & spelūcam pedo subuertit, gratias Deo egit, quod boues a latrone furto subtractas comperisset, ita Dionysius.* Quumq. cædem aqua fluminis expiasset, prope locum eum aram Ioui Inuentori statuit, quæ Romæ

est ad Portam Trigeminam. Vtq. Deo gratias ageret ob inuentas boues, iuuencum vnum ei mactauit.

9.

Pro acceptis beneficijs gratia, ipsi benefactori agenda. ibid.

ABorigines, & Arcades, qui collem Palatinum incolebant, postquam Caci mortem cognouerunt,& Herculem viderũt, illum propter rapinas grauiter oderant huius verò speciem,ac præsentiam, magno cũ stupore admirabantur, & diuinum quiddam se videre putabant, atque latronis illius iacturam,cædéq magnæ suæ fœlicitati tribuebant. Qui verò de ipsis pauperes erant, decerptis lauri ramis, cuius in eo loco magna erat copia,illum, & se coronarunt. Ipsorum quoque reges venerunt,& Herculem ad hospitium inuitarunt. Cum autem & nomen, & genus, & res gestas ipso narrante cognouissent, suam regionem, & seipsos in eius fidem,ac amicitiam dediderunt. At Euander, qui multo antè ex ipsius Themidis narrantis ore audierat, in fatis esse, vt Hercules,Ioue, & Alcumena prognatus, propter suam virtutem naturam mortalem cum immortali commutaret:statim, simulatq. intellexit quis ille esset, quòd cæteros omnes homines anteuertere cuperet, primus Herculem diuinis honoribus placauit: aramq. præ nimia festina-

ratione ex tempore factam ipsi erexit, & supra hanc, iuuencum indomitum ei mactaut, vbi priùs Oraculum ipsi narrasset: eumq. rogauit, vt sacra auspicaretur.

10.

Ad sacerdotale munus, non nisi electi, & instructi debent accedere.

lib. 1. pag. 18.] *Quod monuit Apost.* Hebr. 5. 4. Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.

H*Ercules, cùm benè de seipso affectos Arcades, ac diuinos honores compensandi beneficii gratia conferre intelligeret, quòd Cacum, cuius rapinas grauiter oderant, occidisset, eosque Ligurum agro donasset, rogasse eum ferunt*, vt, quando ipsum primi Deum putarant, honores istos immortales ipsi perpetuò seruarent, Græcoq. ritu, iuuencum indomitum mactarent. Vt autem ipsi sacrificia grata semper ab illis fierent, duas nobiles familias ab eo delectas, & sacrorum ritus ab eodem edoctas. Illos verò, qui Græcam sacrorum disciplinam didicerunt, fuisse Potitios, & Pinarios, penes quas familias curam sacrorum, vt ille instituerat, diu mansisse. Potitios autem sacris præfuisse, & sacrificia auspicari, atque victimarum igne crematarum primitias habere solitos fuisse: Sed Pinarios à viscerum communicatione, ac dape repul-

sos, & cæteris in rebus, quas communi vtrorumq. ministerio fieri oportebat, secundum honorem habuisse. Hanc veró ignominiæ notam propter aduentus tarditatem illis in vstam fuisse: quòd quum illis imperatum fuisset, vt manè præstò adessent, extis iam adesis, ad cæteram dapem venissent.

11.

Sacerdotes negligentes, puniendi. vt supra.

12.

Obsequio diuino, Diuinisque vocationibus negligentia, & sera correspondentia, noxia. vt sup.

13.

Prudentia humana valde impedit, obedire diuinis praeceptis. l. 1. p. 25.]
Ideòque forsan dictum, Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in Regnum Cœlorum. Matth. 18. 3.

A*Eneas, cùm vota, ac sacrificia peragere vellet,* porca, quam erant immolaturi, quæ grauida erat, & partui vicina, quum sacerdotes in ipsam manibus iniectis, sacrificium iam auspicari vellent, vinculis excussis ex eorum manibus, à quibus vincta detinebatur, se proripuit, & loca mediterranea cursu petere cœpit: Æneas verò cùm animaduertisset hanc esse quadrupedem illam

viæ ducem ab Oraculo significatam, (*vt vbi hanc inuenisset vrbis nouę fundamenta iaceret,*) cum paucis eam ex interuallo sequebatur, veritas ne propter persequentium tumultum à fatali via auerteretur. At illa fermè viginti & quatuor stadijs à mari digressa, collem quendam cursu conscendit, vbi labore fatigata conquieuit: Cùm autem Æneas (Oraculum enim ad finem videbatur perductum) cerneret locum illum in agro parum commodo, & procul à mari situm esse, & ne hoc quidem vllos commodos portus habere, in magnam animi anxietatem, & consilij inopiam incidit, vtrum Oraculo parendum, atque sedes ibi figendæ essent, vbi vitam dolorum, ac ærumnarum plenam perpetuò degerent, & nullius boni participes essent futuri, an vlteriùs ad meliores sedes, quærendas eundum esset.

14.

***Mansuetudo, & humilitas sermonis placăt iratum*.** lib. 1. pag. 26.]

Quod apertè dixit Sapiens Prou. 15. 1. Responsio mollis frangit iram, *quod expertus etiam Dauid occurrente sibi contra Nabal irato, Abigail.* 1. Reg. 25. 23.

A*Eneas, vt Latinum ira percitum quod ad bellum incitaretur vidit, hęc ait;* Nos genere Troiani sumus, & ex vrbe inter Græcos non obscurissima venimus, quam Græci

bello decennali expugnatam, nobis eripuerunt, & errabundi, vagamur, quòd nullam vrbem, ac agrum habeamus, in quo posthac habitemus, & Deorum mandatis parentes hùc peruenimus. Et hic solus ager, vt Oracula significarunt, nostrorum errorum portus nobis relinquitur. Res verò nobis necessarias ex hoc agro nobis paramus, miseriarum nostrarum, quàm honestatis, ac decori maiorem rationem habentes, quod certè, quia huc recens venimus, factum nollemus. Sed has iniurias multis, magnisque beneficijs, ac officijs compensabimus, præbentes vobis, & corpora, & animas ægregiè in periculis subeundis exercitatas, vt ipsis pro vestro arbitrio quibuslibet in rebus vtamini: agrumq. vestrum nullis maleficijs vastatum seruabimus, & in hostium agro parando vos alacriter iuuabimus. Vosq. suppliciter oramus, ne, in malam partem accipiatis quæ fecimus, nèue propterea irascamini: cogitantes non iniuriæ faciendæ causa, sed ab ipsa necessitate coactos nos hæc fecisse. Omne autem peccatum non voluntarium venia dignum. Quare æquum est, vt nihil grauius in nos statuatis, qui manus supplices vobis tendimus. Alioqui deos, ac dæmones huius regionis incolas, & custodes præcabimur, vt nobis dent veniam facinorum, quæ coacti facimus, atque vos initium belli facientes propulsare conabimur. Hoc enim bellum, quod mox geremus, nec primum, nec maximum erit eorum, quæ iam sumus experti.

Quum

Quum autē Latinus hæc audiſſet, ei reſpondit. Equidem beneuolentiam habeo erga omne genus Græcorum, & fatalibus hominum caſibus vehementer angor: veſtramq. ſalutem plurimi facerem, ſi mihi cōpertum eſſet, vos propter ſedium inopiam hùc aduenisse, agriq. portione fore contentos, & animo amico accepturos, quæ vobis dabuntur, nec meum principatum mihi per vim erepturos. Sed ſi vera ſunt quæ dicitis: peto, vt pro his ipſis rebus fides vltrò citròq. detur, & accipiatur, quæ fœdus noſtrum ſine dolo malo factum tueatur.

15.

Religio conſeruat Rempublicam. lib. 1. pag. 31.

C*Vm Dardanus Oraculum conſuleret, illud reſponſum de ſacrorum cuſtodia ferunt.*

In Vrbe quam condetis, dijs cultum diuinum incorruptum ſemper
Seruetis, & cuſtodijs (deos) colatis, & ſacrificijs, & choris.
Quandiu enim hæc veneranda in veſtra regione fuerint
Dona (Mineruæ,) Iouis filiæ, ab vxore tua pro dote ad te allata, hæc Vrbs tibi
Erit inexpugnabilis ſemper, & in perpetuum, (nec vllus hoſtis vmquam eam diripiet, ac vaſtabit.)

16.

Sacrificijs, & choris, ideſt Diuinis Officijs, & laudibus cultus Deo redditur. vt ſup.

17.

Regna ab ijs hæreditanda, qui iure ſuccedunt. lib.1.p.31.

P*Oſt mortem fratris Aſcanij regnum Latinum adeptus eſt Syluius, ex Aenea, & Lauinia Latini filia procreatus*, ſed non ſine controuerſia, quam propterea habuit cum Iulo qui filiorum Aſcanij natu maior erat, & qui regnum paternum hæreditario iure habere volebat. Sed populus ſuis ſuffragijs eam litem diremit, cum alijs rationibus ad hoc adductus, tum verò præcipuè hac, quòd Syluius ex matre procreatus eſſet, ad quam hæreditario iure regnum pertinebat. At Iulo pro regno ſacra quædam poteſtas, & honor attributus fuit, qui regia dignitate præſtantior eſt, tam ob ipſam ſecuritatem periculorum immunem, quàm ob vitæ tranquillitatẽ.

Sacerdotalis, & Pontificia dignitas, regia præſtantior, & tranquillior. vt ſup.

18.

Deus punit, pœna delicto proportionata . lib.1.p.32.

A*Llades Albanorum Rex* Tyrannicum, & Dijs inuisum *ingenium, post Agrippam regnauit*. Hic autem cùm esset Deorum contemptor machinas excogitarat, quibus fulmina imitaretur, & strepitus tonitruis similes ederet, quibus homines, tanquam, Deus terrere volebat, sed cùm imbres, & fulmina vera, magno cum impetu in eius domum cælitus irruissent, & lacus, iuxta quem habitabat præter morem redundasset, & diluuium fecisset, aquis obrutus cum tota familia perijt.

19.

Arrogantes eo vsque superbiunt, vt Deo similes esse velint, qui eos, quò se magis attollunt, magis deprimit, vt supra.] *Quod optime delineauit.* Isaias 14.14. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci.

20.

Regnandi cupiditas omne nefas ad-

mittit, etiam in affines, & agnatos. lib. 1. p. 34] *Pluribi ostendimus ex sacra Scriptura*.

AMulius regnum Albanorum per vim, & fraudem adeptus, quòd Numitorem fratrem maiorem natu eo priuasset, & à paterno honore repulisset, præter alia facinora, quæ cum magna iuris contemptione patrauit, tandem etiam totam Numitoris domum, ac stirpem per insidias tollere decreuit, partim vindictæ metu, partim etiam imperij perpetui cupiditate captus. Quod consilium cum diù, multumq. animo agitasset, primùm quidem Numitoris filium Ægestũ, recens pubescentem obseruato loco vbi venabatur, & insidiis in occultissima eius loci parte clàm positis, ad venationem egressum interfecit: & post hoc facinus perpetratum, rumores spargi curauit, hunc adolescentem à latronibus interfectum. Hic tamen falsus rumor tacitam veritatem superare non potuit: sed multi, vel cum sui capitis periculo scelus hoc eloqui sunt ausi. Numitor verò rem quidem sciebat, sed rationi magis, quàm iusto dolori seruiens, id facinus sibi incognitum esse simulabat, quod iram suam in aliud tempus minus periculosum consultò differre vellet. At Amulius adolescentis cædem occultam esse ratus, alterum scelus addidit priori. Iliam Numitoris filiam, vel (vt alij scribunt) Rheam nomine, Iliam cognomine.

ne. iam viro maturam, ac nubilem; Vestæ sacerdotem optauit: veritus ne, si citò alicui nupsisset, scelerum vltorem suæ familiæ pareret. Has autem sacratas Virgines, quibus ignis perpetui custodia erat commissa, non minùs quàm xxx. annos nuptiarum puras in virginitate manere, & cætera diuini cultus munia, si quæ aliæ Reipublicæ causa Virgines ex legibus abire solebant, exercere oportebat. Hoc autem fecit Amulius rem honesto, ac specioso nomine velans, quasi magno honore, ac ornamento fratris progeniem decoraret: Præsertim, quod ipse nec huius moris author fuisset, nec eo vulgato, & ab omnibus iam recepto, fratrem omnium virorum illustrium, ac dignitate præditorum primum vti coegisset.

21.

Metus vindictæ in offensis, etiam prolem facit sæuire. vt sup.

22.

Iniuria à potentiori accepta, dissimulanda. vt sup.

23.

Multi dant operam, vt affines religiosum aggrediantur institutum, non charitate eorum, sed propria vtilitate ducti. l. 1. p. 34.

Sacra

24.

Sacra, à castis ministranda. l. 9. p. 34.

SAcratas Virgines quibus ignis perpetui custodia erat cõmissa, non minus quàm xxx. annos nuptiarum puras in virginitate manere, & cætera diuini cultus munia, si quæ aliæ Reipub. causa virgines ex legibus abire solebant, exercere oportebat.

25.

Itẽ, à personis maturæ ætatis. vt sup.

26.

In impudicitia lapsi ab administratione sacrorum abstineant. lib. 1. pag. 35.

R*Hea, quam stupro pollutam per vim referunt*, post vim sibi factam aduersa valetudine se teneri simulans (hoc enim consilium mater ipsi dederat, tum vt ipsa tutior esset, tum etiam pietatis causa, vt cultus diuinus impollutus seruaretur) ad sacra non ampliùs accedebat: Sed quicquid ipsam in publico sacrorum ministerio facere oportebat, id faciebant eiusdem Collegij Virgines, quæ idem munus solebant obire.

27.

Multa palliantur zelo iustitiæ, quæ fiunt propria vtilitate. lib. 1. p. 35.

Amu-

AMulius ille fraternæ stirpis euersor, vt Rhea Syluia Vestæ Sacerdotis pragnantem aluum intumescere vidit, vt debita pœna plecteretur, diù, ac vehementer asseruauit, quamuis fratris filiam; hoc autem non vt iustitiæ munus exequeretur, faciebat, sed vt fratris prolem penitùs extirparet, suisque imperium filiis traderet possidēdum, ab illo iniustè erepto.

18.

Infantibus humanitas ab ipsis brutis exhibetur. Vnde in eos sæuire immanissima crudelitas . lib. 1. pag. 36.] *Quam ergo immanis Herodes.* qui mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius. Matth. 1. 16.

AMulij iussu ministri quidā infantes gemellos filios Rheæ Romulum, & Remum in alueo collocatos acceperunt, & adsportarunt, vt eos in fluuium circiter c x x. stadia ab vrbe distantem proijcerent. Quum autem eò accessissent, & animaduertissent Tyberim ob continuos imbres extra naturalem alueum egressum, & in campos redundantē de palatii vertice ad aquam proximam descenderunt (neque enim vlteriùs egredi poterant) vbi fluuij exundatio primas collis radices alluebat; & (ibi) ipsum al-

alueum in aquis posuerunt, qui aliquandiù quidem fluitauit, sed postea aquis paulatim ex ripa extrema recedentibus saxo impactus, & euersus infantes eiecit, qui vagientes in cœno volutabantur. Quum autem Lupa quædam apparuisset vberibus recenti partu lacte turgentibus, eorum ori mammas præbuit, & lingua cœnum, quo pleni erant, lambendo absterfit.

29.

Ambitio regnãdi cognationis amorem extinguit, paritque discordiam, etiam inter fratres. lib. 1. pag. 40.] *Ex scriptura pluribus nobis quid simile ostensum.*

Numitor ceso Amulio, pristinum Regni statum opera Remi, Romuliq. recepit, quamobrem beneficiorum memor his noua Vrbis extruenda facultatem dedit. Illis autem iuuenibus datæ sunt & pecuniæ, & arma, & frumentum, & mancipia, & iumenta, quæ onera ferrent, & si quid aliud ad vrbis fabricationem vtile erat. Qui cùm Populnm Alba eduxissent, indigenis cum eo mixtis, quotquot in Palantio, & Saturnia rel qui erant, multitudinẽ totam in duas partes diuiserunt. Id autẽ ipsis ad ęmulationem visum est conducere, vt opus illis certatim optantibus citiùs absolueretur. Sed ea res seditionis, mali

gra-

grauissimi, causa fuit. Nam eorum vtraque pars suum ducem, vt idoneum ad omnibus imperandum, colens extollebat: & ipsi quoque non ampliùs concordes, neque fraterna mente p æditi, cùm vterque alteri imperare vellet, contempta æqualitate, maiora affectare cœperunt. Aliquandiu igitur illa principatus affectatio latuit, sed deinde hac occasione erupit: Locus condendæ vrbis non idem vtrique placebat. Romulus enim censebat Palantium muniendũ, cùm aliis de causis, tùm verò ob loci fortunã, quæ ipsi salutem attulerat, & educationem præbuerat: At Remus eam quæ nunc ab illo appellatur Remuria, condere malebat. Hic autem locus à Tyberi non procul abest, & x x x. fermè stadia ab vrbe distat. Ex hac autem contentione statim apparuit illa insaciabilis dominandi cupiditas.

30.

Aemulatio facilè vertitur in discordiam. vt sup.

31.

Sepultura quanti habita. l.1. p.41.

32.

Fratricidium quàm horribile. lib.1. pag.41.

R*Emo cæso in ea pugna, quam inter se fratres dominandi inflammati cupiditate* in-

instituerant, Romulus cùm victoriam miserrimam de fratre, & Ciuium mutua cæde retulisset, Remum in Remuria humauit: siquidē cùm viuebat, eum locum vrbi condendæ destinarat. Ipse verò præ mœrore, & facti pœnitentia, de manibus sibimet ipsi inferendis cogitare cœpit. Sed cùm Laurentia, quæ eos recens natos, à marito datos acceperat, & educarat, & non minùs, quàm mater amabat rogaret, & consolaretur eum, eius precibus adductus, surrexit.

33.

Pœnitētia sceleris perpetrati, quandoq. in desperationem adducit, & ad inferendam sibi ipsi necem. vt sup.] *Quod accidisse Iuda neminem latet*. Matt.27.5.

34.

De perpetrato scelere animum dolentis iuuat consolari, ne in desperationem ruat: vt sup.

35.

Concordia ciuium, respublica, & ciuitates florent. lib.1.p.43.

ROmulus conuocata concione, aui materni monitu, & ab eo quid esset dicendum edoctus, dixit, vrbem, & publicis, & priuatis ædificijs, vt recèns conditam, satis à se

or-

ornatam esse, & omnes rogauit vt illud cogitarent, reipublicæ summā in his rebus non esse sitam. Neque enim in bellis externis profundas, altasq. fossas esse munimenta satis idonea ad certam salutis securæ spem hominibus inclusis afferendam: sed hoc tantùm polliceri, oppidanos repentina hostium incursione oppressos, cladem nullam accepturos, neque, si intestini tumultus in republica exorti fuerint, priuatas ædes, & domicilia cuiquam refugium satis tutum præbere: ad vitam enim quietè, & tranquillè degendam hæc subsidia, & solatia ab hominibus inuenta esse, quæ neque insidias, quæ vicinis tenduntur, ita arceant, vt illi miseri non sint: neque etiam faciant, vt qui insidijs appetuntur, quamuis in tuto sint, tamen confidant; nec vllam vmquam vrbem his solis ornamentis fœlicitatem, & amplitudinem diuturnam sibi quæsisse: neque contrà, vllam vnquam ciuitatem, quod sumptuosis ædificijs priuatis, publicisq. caruisset, prohibitum fuisse, quò minus, & ampla, & fortunata euaderet. Sed aliud esse, quod vrbes seruet, & magnas ex paruis faciat. In externis bellis ipsam armorum potentiam, hanc autem audacia, & exercitatione comparari. At in ciuilibus perturbationibus ciuium concordiam. Demonstrauit autem hanc facillimè posse in republica florere, si vnusquisque, & temperanter, & iuste viueret. Eos verò, qui rebus bellicis operam nauant, & cupiditatibus suis imperant, ægregiè suas patriās

trias ornare, & reipublicæ esse mœnibus inexpugnabilibus, illosque vitæ suæ tutissima domicilia parare. Bellicosos certè, iustosque viros, & qui alias virtutes colunt eandem reipublicæ formã constituere, quam viri prudentes constituerunt. Contrá verò molles, & auaros, & fœdis cupiditatibus addictos, malis quoque studiis penitus occupari: dixitq. se a natu maioribus, & multarum rerum peritis accepisse multas magnas colonias in loca fortunata delatas, partim exortis seditionibus statim perditas, partim non multò post imperio vicinorum parere coactas fuisse, & meliorẽ agrũ, quẽ ante habebant, cum deteriore fortuna cõmutasse, & seruas ex liberis factas. Alias verò non magno hominum numero, & in agros non admodum bonos profectas liberas primùm, deinde aliorum etiam imperium diuturnum adeptas, neque fœlicitatis paucorum, neque infortunij multorum aliam esse causam, quàm ipsius reipublicæ formam.

36.

Iusti, & virtute præditi, Reipublicæ per quam vtiles, vitiosi verò noxij. vt sup.

73.

Principatus oblatus non nisi consulto, & approbante Deo suscipiendus**:** lib. 2. pag. 44.] Contra temerè assumentes.

Ro-

R*omulus populo, eam Reipublicę formam placere, quam optimam maiores iudicarint, dicenti respondit.* Cùm Romulus à Dijs certa sui regni signa accepisset, conuocato ad concionē populo, & auspicijs declaratis, ab illis Rex creatur, & hunc morem in posterū ab omnibus seruandū instituit, ne quis, aut regnum, aut magistratū caperet, nisi, & ipsa Dei authoritas id cōprobasset, atque hic mos captandorū auspiciorum diu à Romanis obseruatus est, non solū sub regibus, sed etiā post exactos reges in consulum, pretorū, & aliorū legitimorū magistratuum comitijs. At nostra ætate hic mos sublatus est, & tantū quædam eius imago, huius religionis causa remanet. Candidati enim sedem capiunt, & sub crepusculū matutinū surgunt, & quasdam preces sub dio peragunt. Tum aliquis ex collegio augurum præsentiū, qui publica pecunia aluntur, fulgur à sinistris, quamuis nullū apparuerit, magistratum illis significare pronunciat. Illi verò accepto vocis omine ad magistratū capiendū abeunt. Nonnulli quidē rati hoc ipsum sufficere, quòd nullū cōtrarium, & aduersum ausp ciū apparuerit: nonnulli verò, vel contra ipsius dei prohibentis, atque aduersantis voluntatem. Interdum etiā magistratus per vim potius rapiūt, quàm accipiunt. Quapropter multi terrestres Romanorum exercitus internecione deleti sunt, & multæ classes in mari vnà cū ipsis hominibus perierunt, aliæq. clades magnæ,

gnæ, & graues reipublicæ acciderunt, cùm in externis bellis, tùm in ciuilibus seditionibus.

38.

Multi Prælati, ideò malè gubernant, quia non à Deo electi, sed sua ambitione introducti. vt sup. lib.2.pag.45.

39.

Dignitates oblatæ, non auidè suscipiendæ. lib.2.pag.65.] *Exemplo Saul, Iosue, & Gedeonis.*

NVma cùm venissent hi legati qui ipsum ad regnum vocabant principiò quidem illis restitit, & diu in eadem sententia permansit, repugnans, ne regnum acciperet, sed cum fratres instarent precibus, & tandem ipse pater tantum honorem vltrò oblatum minimè reijciendum censeret, ipsis assensus est, regemq. se creari est passus.

40.

Potentes, ac diuites patrocinari debent pauperibus, & eorum curam agere, & isti è contra, illis seruitia præstare. l. 2.p.45. & 46.

R*Omulus in bene instituenda republica,* patricijs plebeios commendauit, vnicuique

cuique de plebe libera optione data, vt sibi, quem vellet patronum eligeret, quem morē Græcum, & antiquū, quo diù Thessali, & prisci Athenienses sunt vsi, ipse in melius conuertit. Illi enim superbè clientibus vtebātur, illis imperantes opera, liberos, ac ingenuos homines parum decentia, & si quando omnia imperata non fecissent, verbera intētantes, & cæteris in rebus abutentes illis, tanquam mancipiis, Athenienses autē hos clientes ob seruitutem Θῆτας appellabant: Thessali verò, Πενέστας, vocabulo fortunam illis continuò exprobrantes. At Romulus decora etiam appellatione hanc rem cohonestauit, patronatum nominans pauperum, & humilium patrocinium: & commoda vtrisque addidit officia, & eorum coniunctionem perhumanam, ac ciuilem reddidit. Ius autem patronatus tunc ab illo constituti, quòd apud Romanos diu durauit, erat huiusmodi: oportebat patricios suis clientibus ius interpretari, & de eo respondere, cuius illi essent imperiti, & illorum æquè absentium, atque præsentium curam gerere, facientes quicquid liberorum causa parentes facere solent, & in rationibus pecuniarum, & in earum contractibus: & lites pro clientibus iniuria affectis suscipere, si quis in ipso contractu detrimentum accepisset, & eorum causam contra accusatores sustineret, & (vt paucis multa expediam) oportebat eos clientibus tam à priuatis, quám à publi-

cis negotijs omnium quietem, quæ maximè opus illis erat, præstare. Oportebat verò vicissim ipsos clientes iuuare suos patronos in elocandis filiabus, si earum parentes essent inopes, & ab hoste redimere, si quis aut ipsorũ, aut ex liberis eorũ captus fuisset, priuatarũ quoque litium perditarum æstimationes, & mulctas publicas pecuniarias pro ipsis proprio ære dissoluere pecuniam, non mutuò; sed referendæ gratiæ causa dantes, & in magistratibus, honoribus, alijsq. publicis impensis sumptuum participes esse, non secus, ac genere coniunctos. Commune autem vtrisque erat, vt neque pium, neque fas esset alteris alteros in iudicijs accusare, aut testimonium aduersum dicere, aut suffragium contrarium ferre, aut inter inimicos censeri. Quòd si quis in aliquo huiusmodi facinore deprehensus fuisset, proditionis lege, quam Romulus sanxerat, tenebatur. Et eum qui eius criminis fuisset conuictus, cuiuis, vt Diti sacrum interficere licebat. Mos enim erat Romanis, vt quos vellent impunè occidi, eorum corpora alicui Deo, præcipuè verò inferis deuouerent: quod & ipse Romulus tunc fecit. Qua propter ad multas ætates permanserunt hæ clientium, & patronorum coniunctiones posteris omnibus commendatæ, itaut nihil ab ipsarum necessitudinum vinculis differrent: & magnæ vertebatur laudi nobilibus quamplurimos clientes habere, & hæreditarias maiorum clientelas, conseruare, aliasque virtute propriâ parare: ma-

magnumq. certamen erat vtrisque de beneuolentia, ne mutuis beneficiis alteri ab alteris vincerentur, ipsis clientibus pro virili parte nullum ministerium patronorum causa recusantibus: & vicissim patronis nullo modo volentibus molestiam suis clientibus exhibere, nec vllum pecuniarum donum accipientibus.

41.

Fœlicitas, non fortuna, sed virtute metienda. lib 2 pag.46.

D*Ionysius Romanos patronos sic commendat, mansuetè cum clientibus se gerentes.* Tanta erat illorum in omni vita temperantia, & fœlicitatem virtute, non fortuna metiebantur.

42.

Senes, quod est nomen honoris: appellandi non tantùm viri ætate, sed etiam virtute conspicui. l. 2. pag. 46.

D*Ionysius de Senatoribus, ac centum Patribus, quos in consiliarios sibi Romulus adsciuit, ait.* Centum Senatorum numerum expleuit. Hoc autem consilium, si græcè vocabulum interpreteris γερουσίαν, idest, Senatum significant, & ad hunc vsque diem ita à Romanis vocatur. Vtrum verò ob senectutem eorum, qui in id consilium lecti vene-

rant, an ob virtutem hoc nomen habuerint, certò affirmare non possum. Prisci enim viros ætate, & virtute præstantes, senes appellare solebant.

43.

Principes non debent suo marte, sed consilio gubernare. vt sup.

ROmulus centum sibi Patres adsciuit, quos, cùm consilio opus esset, facilè posset adire.

44.

Principes inuigilare debent iudicibus, vt rectè iudicent, & sic in cæteris commissis negotijs, suis ministris; lib.2.pag.47.

R*Omulus inter munia, quę Regis esse instituit, iussit leuiorum quidem causarum Senatoribus permitti cognitionem, nàm grauiorum cognitio penès ipsum Regem esse censuerat*. (ita tamen, vt caueret, ne quid interim in iudicijs peccaretur.)

45.

Templa immunia, immunesque ij, qui ad ea confugiunt. l.2.p.48.

ROmulus, quum animaduertisset multas Italię ciuitates male administrari à Tyrannis, & paucorum dominatu, multos qui ex illis ciuitatibus profugiebant, dummodò essent liberi, non inquirens vlteriùs, vel in eorum calamitates, vel fortunam excipere, & ad se traducere conabatur: eo cōsilio, vt Romanorum potentiam augeret, & vicinorum vires imminueret. Hæc autē ille faciebat, cōmētus speciosā causā, & rem ad Dei gloriā simulatè referens. Locū enim, qui est medius inter capitolium, & arcem (qui hodie Romano sermone appellatur interstitium duorum locorum, & qui tunc à re ipsa id nomen habebat, ob syluas densas opacum, ab vtroque latere, quod eos colles coniungit, consecrauit, & asylum supplicibus aperuit, & ibi extructo templo (sed cui Deorum, aut geniorum nihil certi habeo quod afferam) confugientibus in hoc templum supplicibus, per speciem pietatis in Deo, spopondit fore vt nullam ab inimicis iniuriam paterentur, &, si apud se manere vellent, iura ciuitatis, & partem agri, quem hostibus ademptum quæsisset, ipsis impertiretur.

46.

Hospites benignè accipiendos, etiam politica docet. l.2.p. 48.

M*Os improbus, atque consuetudo Lacedæmoniorum fuit, hospites veluti hostes expelle-*

pellere; quam rem vt inhumanam reprobans Dionysius, ait, non solùm eos ex hac arrogantia nihil commodi accepisse, sed maxima proptereà damna emanasse,

47.

Ad sacerdotium, non nisi dignissimi eligendi. lib.2.p.50.

ROmulus sacerdotia, neque venalia esse, neque sorte diuidi voluit: sed legem tulit, qua iussit ex singulis curiis creari duos, qui annum ætatis quinquagesimum iam preteriissent, qui & genere aliis præstarent, & virtute essent insignes, & censum sufficientem haberent, & corpore essent integro. His autem non ad certum aliquod tempus, sed quandiù viuerent hos honores concessit, eosq. militiæ, ob ætatem, & negotiorum vrbanorum ob legem immunes fecit.

48.

Item non mendici substantijs, corpore defectuosi, & ætate immaturi. vt sup.

49.

Munera ecclesiastica non pretio, sed gratia disponenda dignioribus. vt sup.

50.

Sacerdotes, & Ecclesiasticos immunitas decet ab oneribus sæcularibus. vt sup.

51.

Item abstinere debent à negotijs.] *Quod monuit Timotheum Paulus*. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. 2.Tim.2.4.

52.

Frugalitas etiam in sacris, laudabilis. lib.2. pag.51.

D*ionysius Romulum hisce vocibus commendat, quod sacerdotes cultu non splendido, & luxuoso, sed vili, ac paupere uti instituerit*. Ille autem vir non solùm laudandus est ob sapientiam, qua in his rebus est vsus, sed etiam ob sacrificiorum frugalitatem, quibus Deos coli iussit: quorum maxima pars vsque ad hanc nostram ætatem permanet, licèt non omnia prisco more fiant. Equidem vidi in sacris ædibus cœnas Diis appositas in antiquis mensis ligneis, in canistris, & in catinis fictilibus hordacea liba, & placentas, & far, & fructuum quorundam primitias, & alias eiusmodi res tenues, & paratu faciles, & ab omni inepta magnificentia remotas. Vidi etiam libatio-

nes fieri, non in argenteis, & aureis vasis, sed in testaceis calicibus, & vitreis: & valde eos homines sum admiratus, quòd patrios ritus constanter seruent, nihil priscorum sacrorum in insolentem luxum commutantes.

53.

Damnandus luxus, etiam in sacris. vt sup.

54.

Magis in conuiuijs. vt sup.

55.

Vxores bona à maritis, vt socia in participatione bonorum babenda. lib. 2. pag. 52.

ROmani existimantes far esse omnium frugum pretiosissimum, & antiquissimum, ab hoc in omni sacrificio, in quo victima crematur igne, initium faciunt. Ea enim consuetudo adhuc manet, nec ad priscam illam frugalitatem quidquam additum est. Quòd igitur mulieres cum viris sacratissimi, & primi cibi fierent participes, & valdè bona fortuna conuenirent, ea res appellata fuit, farris communicatio, quæ virum, & vxorem necessariò coniugii inseparabilis vinculo coniungebat: & nihil erat, quod has nuptias posset dissoluere. Hæc lex coëgit mulieres nuptas, vipoté quæ nullum aliud re-

fu-

fugium haberent, ad vnius sui mariti mores vitam suam conformare, & ipsos maritos, vt rem necessariam, & á qua nullo modo diuelli possent, vxorem retinere. Vxor enim, si pudica fuisset, & marito in omnibus rebus morem gessisset, erat familiæ domina, æquè, atque ipse vir, & in eius defuncti bona, vt filia in patris, hæres succedebat. Et si sine liberis, & intestatus obijsset: erat omnium bonorum relictorum domina: sin autem liberos habuisset, ex æquo cum liberis bonorum particeps erat.

56.

Vxores debent mariti moribus, suos conformare. vt sup.

57.

Mulieres pudicitiæ amore, à nimio potu, & ebrietate abstineant. lib.2.pag.52.

A*Pud Grecos licet leuissimum peccatorum fuerit,* si quam mulierem vinum bibisse constitisset. Romulus enim hoc vtrumque, vt muliebrium delictorum grauissimum, puniri iussit, quia stuprum dementiæ, ebrietatem verò, stupri originem esse iudicauit.

58.

Matrimonia dissolui, illicitum. lib.2.pag.52.

QVòd lex de mulieribus lata præclara fuerit, ipsa temporis diuturnitas fidem facit. Hoc enim confessum est intra quingentos, & viginti annos Romæ nullum matrimonium dissolutum fuisse. Sed centesima trigesima septima Olympiade, M. Pomponio, & C. Papirio Coss. primus vxorem repudiasse fertur Sp. Caruilius, vir non obscurus, coactus à Censoribus iurare se liberorum suscipiendorum gratia vxorem dimittere: eius enim vxor erat sterilis. Qui tamen ob hoc factum, quamuis esset necessarium, in perpetuum exosus fuit populo.

59.

Paterna potestas in liberos apud Romanos, maxima. lib. 2. p. 52. & 53.

LEges, quas *Romulus* tulit de liberorum reuerentia, & pietate erga parentes, vt eos colerent, omnia eorum imperata facientes, longe maiorem, quam hæc ipsa, grauitatem, & splendorem habent, & nostras leges longè superant. Qui enim Græcas rerum pub. formas constituerunt, quoddam tempus admodum breue statuerunt patriæ potestatis in liberos: alij quidem, donec tertium pubertatis annum expleuissent: alij verò quandiù cœlibes mansissent: alii verò, donec eorum nomen inter viros, & eos, qui ad magistratus gerendos sunt idonei, publicè

cè relatum esset, vt ex Solonis, & Pittaci, & Charondæ legibus acceperant, quorum ingens sapientia omnibus est testata. Et in contumaces liberos pœnas statuerunt non graues, permittentes patribus, vt illos domo expellerent, & exhæredarent, præterea nihil. Sed pœnæ leues non possunt refrænare iuuentutis insaniam, & ingenii ferocitatem: neque possunt rerum honestarum contemptores ad temperantiam reducere. Quare apud Græcos multa in parentes turpia liberi committunt. At Romanorum legislator, omnem (vt ita dicam) potestatem in filium patri concessit, idque toto vitæ tempore, siue eum in carcerem coniicere, siue flagris cædere, siue vinctum ad rusticum opus detinere, siue occidere vellet: Licèt filius iam remp. administraret, & inter summos magistratus cēseretur, & propter suum studium in rempublicam laudaretur. Certè ex hac lege, viri illustres, conciones pro rostris habentes, senatui quidem aduersarias, plebi verò gratas, & propterea valde celebres è suggesto detracti á patribus abducti fuerūt, pœnas eorum arbitratu daturi: quos, cùm per medium forum abducerentur, nullus eorum, qui aderant poterat eripere, non consul, non tribunus plebis, non ipsa turba, cui illi assentabantur, licet aliam omnem potestatem sua minorem existimaret. Non dicam enim, quot viros fortes ipsi patres interfecerint, qui virtute, & animi quodā ardore impulsi sunt ad aliquod generosum faci-

nus edendum. præter patrum mandatum. Quemadmodum de Manlio Torquato, & multis alijs accepimus, de quibus suo loco dicemus. Neque Romano Legislatori hoc satis fuit, quòd hanc potestatem Patri dedisset, sed etiam ei filium vendere permisit: nihil eo deterritus, quòd homines hanc potestatẽ Patri cõcessam crudelem essent iudicaturi, & grauiorem, quàm naturalis affectus, & amor patiatur. Et (quòd maximè quis admiretur i dissoluta Græcorum disciplina educatus, vt acerbum, & tyrannicum) hoc quoque Patri concessit, vsque ad tertiam venditionem ex filio quæstum facere, data Patri in filium maiore potestate, quàm domino in mancipium: Nam seruus semel venditus, deinde libertatem adeptus in posterum est sui iuris: at filius á patre venditus, si liber fuisset factus, redibat in potestatem patris: & iterum venditus, & libertate donatus, seruus patris, vt antè fiebat.

60.

Timor coercet populos à sceleribus; ideò iudices, & principes, seueritas non dedecet. lib.2.pag.53.

R*omulus* cùm videret ipsum metum homines ab omni facinore deterrere maximè posse, multa ad eam rem parauit, & tribunal, vbi sedens iudicabat, in fori loco maximè conspicuo, & milites numero ccc.

qui ipsum sequebantur, speciem maximè formidabilem, & virgas, & secures à duodecim lictoribus prælatas, qui verbera promeritos in foro cædebant, & ceruices illorum, qui grauissima scelera patrassent in omnium conspectu percutiebant.

61.

Cum inimicis moderatè agendum, timore Dei punientis superbos, & crudeles. lib.2.pag.56.

R*omulus ad mulieres, quæ Antemnatum, & Caninensium erant, cum quibus ille bellum graue inijt, ait*, Vestri patres, & fratres, & integræ ciuitates extrema quæuis mala perpeti deberent, quòd bellum neque necessarium, neque honestum susceperint, idque quàm nostram amicitiam maluerint: tamen nos multis de causis decreuimus moderatè cum illis agere, quód timeamus Deorum indignationem, omnibus superbis imminentem.

62.

Debet vnusquisque misereri alterius, quia & ipse aliquando misericordia indiget. lib.2.pag.56.]
Eadem enim mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Luc.6.28.

R*omulus mulieres Antemnatum, & Ceninensium, ipse etiam miserans, sic alloquitur*. Cùm existimemus misericordiam non parùm conferre, ad leuãdas communes mortalium miserias, quem & nosmetipsi, & aliorum misericordia olim indiguerimus, & vobis conqueri non possint, hunc honorem, & beneficium non paruum fore censeamus.

63.

Cupiditas, & auaritia radices omnium malorum . lib. 2. pag. 57.]
Quod dixit Apost. Timotheo. Radix enim omnium malorũ est auaritia. 1.Tim.6.10.

SAbinos prætereuntes radices Capitolij, vt explorarent, si qua forté collis pars, vel clàm, vel vi aperta capi posset, virgo quædam de sublimi aspiciebat, filia viri illustris, cui illius loci custodia mandata erat, nomine Tarpeia: quam (vt Fabius, & Cincius scribunt) cupido cœpit armillarum, quas in sinistris brachijs illi gestabant, & annulorum, quos ferebant. Tunc enim Sabini, auerdis ornamentis gaudebant, & non minus, quàm ipsi Hetrusci molli victu, cultuq. delectabantur. Sed (vt L. Piso vir censorius tradit) præclari facinoris desiderio id fecit, vt hostes armis corpus protegentibus denudatos suis ciuibus obijceret. Vtrũ verò horum ad veritatẽ propiùs accedat ex ijs quæ po-

posteà acciderunt, licet conijcere. Illa igitur, emissa quadam ancilla per ostiolum occultum, nullo sentiente apertum, regem Sabinorum rogauit: vt remotis arbitris omnibus secum in colloquium veniret, quòd cum ipso de re necessaria, & magni momenti actura esset. Cùm autem Tatius spe proditionis eam orationem lubenter audisset, & in locum designatum venisset, virgo progressa, quousque potuit, dicit patrem suum noctu egressum ex arce, negotij cuiusdam causa, & se portarum claues seruare: seq. ipsis arcem proditurам noctu venientibus, si pro proditionis pretio accepisset armillas, & ornamẽta, quæ omnes Sabini in sinistris brachijs gestabant. Quum autem Tatius rem probasset, fide vltrò citròque data, & accepta, iureiurando interposito, ne qua fraus in pactis fieret, & loco munitissimo, quem Sabini peterent, designato, & præstituta hora noctis, qua custodias maximè remissas agi putabat, clam ijs, qui in arce erant, se recepit.

64.

Non protegendi à Principibus impij, & grassatores. lib. 2. p. 62.

QVidam ex Tatij amicis cùm prædatorum manu, facta in agrum Lauiniensem excursione, multas res eorum rapuerant, & pecoris greges abegerant: horum autem, qui opem tulerant, alios trucidarunt, alios

sau-

sauciarunt. Cùm autem legati ab illis, qui iniuriam acceperant, missi fuissent, & sibi suum ius tribui postularẽt, Romulus æquum esse censuit, vt maleficij auctores iniuriam passis dederentur, vt ad supplicium abducerentur: At Tatius, amicorum causam defendens, indignum iudicabat aliquos ab inimicis aliò in iudicium vocari: præsertim verò ciues Romanos à peregrinis. Quare iussit eos, qui de iniuria sibi illata quærebantur, Romam profectos iure cum aduersarijs disceptare. Legati igitur, cùm nihil æqui impetrare potuissent, indignabundi discesserunt. Illos autem sequuti quidam Sabini irati, in ipsa via considentes (nox enim eos oppresserat) dormientes inuaserunt, & pecunijs spoliarunt, & quotquot deprehenderunt adhuc iacentes in cubilibus, iugularunt. Qui verò insidias eorum statim præsentire, & euadere potuerunt, in vrbem suam redierunt. Posteà tam è Lauinio, quàm ex multis alijs ciuitatibus legati missi sunt, qui de violato iure gentium conquærerentur, & bellum indicerent, nisi ius suum obtinerent. Ac Romulo quidem graue videbatur, (vt reuera erat) id quod legatis acciderat: idquè expiatione matura egere existimabat, quod lex sanctissima violata fuisset. Nec res diutius neglecta, cùm animaduertisset Tatium hoc parui facere, ipsemet comprehendit homines: huic piaculo obnoxios, & vinctos legatis obducendos tradidit. Tatium verò ira ob istam

con-

contumeliam subijt, qua se à suo regni socio affectum aiebat, ob illorum hominum deditionem: simul etiam commotus est misericordia eorum, qui abducebantur: nam & quidam eius cognatus huic piaculo erat obnoxius. Atque statim militibus stipatus eos qui abducebantur eripuit. Non multo autem post (vt nonnulli aiunt) cum Romulo profectus Lauinium sacrificii causa, quod dijs patrijs oportebat pro ciuitatis salute à regibus fieri, facta in eum conspiratione, à legatorum cæsorum amicis, & affinibus, ad ipsam aram, cultris culinarijs, & verubus magnis percussus, cecidit. Sed, vt Licinius scribit, cùm neque cum Romulo, neque sacrorum causa eò iuisset, sed solus suasurus læsis, vt iram in sontes remitterent, plebe ægrè ferente, quod illi viri sibi dediti non fuissent (vt & Romulus æquum esse censuerat, & ipse Romanorum Senatus decreuerat) & ab hominum cæsorum cognatis, magna manu, facto in eum impetu, cùm non possent amplius effugere præsentem vindictam, lapidibus ab illis obrutus, interijt.

∴

65.

Nimius rigor, & sæuities Principum, etiam in iusta causa subditis exosa, & sæpè causa rebellionis. lib.2. pag.64.

D*Ionysius de Romuli morte ita fatur*. Qui proximè ad veritatem accedunt, *Romulum* à suis ciuibus cæsum tradunt. Cædis autem eius hanc causam afferunt, quòd obsides, quos à Veientibus acceperat, præter morem, sine communi totius populi consensu, dimisisset: quodq. non ampliùs pari comitate tractaret veteres ciues, & adscriptitios: sed illos quidem in maiori pretio haberet, eos verò qui asciti fuerant, despiceret. Præterea eius crudelitatem in delinquentiũ supplicijs, eiusque arrogantiam, cædis causam fuisse dicunt. Quosdam enim ciues Romanos accusatos, quód in vicinorum agro latrocinia exercuissent, viros neque ignobiles, neque paucos, de saxo præcipites dari iussit, ipse solus ea pœna sine aliorum consensu illis irrogata: sed præcipuè quòd iam grauis, & arrogans esse, & imperium non regiè, sed tyrannicè exercere videretur. Ob has igitur causas aiũt patricios, conspiratione in eum facta, cædis consilia inisse: facinus autem in senatu patrasse, & eius corpore discerpto ne cadauer appareret, egressos occultasse sub vestibus, quod quisque

eius frustum habebat, posteàq. clam terra iniecta texisse.

66.

Eligendus in regem vir sapiens, & prudens. lib.2.pag.65.

R*Omani senatores, caso Romulo, vt nouum regem eligerent, quem ex aliis ad regendum maximé idoneum censerent*, inito consilio regem designarunt quendam hominem Sabinum, filium Pompilii Pomponis viri illustris nomine Numam. (posterior autem syllaba producta graui accentu est notāda) ætate ea, quæ solet esse prudentissima, (nam non multum aberat à quadragesimo anno) & formæ dignitate planè regia præditum.

67.

Parentibus parendum. lib.2. p.65.

NVma eum venissent hi legati, qui ipsum ad regnum vocabant, principio quidem illis restitit, & diu in eadem sententia permansit, repugnans ne regnum acciperet. sed quum fratres instarent precibus, & tandem ipse quoque pater tantum honorem vltrò oblatum minimé reiiciendum censeret, ipsis assensus est, regemq. se creari est passus.

Plebs

68.

Plebs vaga, & nil poſsidens, nouitatum amatrix. lib.2.pag.66.

ERat, & quædam plebis pars non parua, quæ nuper in ciuitatem recepta fuerat: quæ quod nullo in bello Romulum adiuuiſſet, ideò à duce neglecta nullam agri partem, aut aliud commodum acceperat. Hæc ſine laribus, & mendica vagans, neceſſariò ipſis potentioribus erat inimica, & ad res nouandas paratiſſima.

69.

Virgines Deo ſacratæ, ſeuerè puniendæ, ſi ſtuprum commiſerint. lib.2. pag.69.

V*Irginibus, quas Veſtæ ſacras dixere Veſtales, vt quem virginitatis Florem Deo dicarant, æternum ſeruarent, inſtitutum fuit, vt ſi qua ſtuprum fuiſſet paſſa, fœdiſsimo, & miſerrimo mortis genere plecteretur.* Viuæ enim in lecto, *Dionyſius ait*, non aliter, quàm mortuæ, funebri pompa efferuntur, eas deflentibus, & proſequentibus amicis, & cognatis. Delatæ autem vſque ad portam Collinam intra mœnia, in cella ſubterranea, ad id parata, cum omnibus funereis ornamentis ſepeliuntur, ſine vllis monumentis, ſine

ine parentatione, deniqu. sine ijs omnibus rebus, quæ defunctorum manibus dari solent.

70.

Bellum non statim, ac temerè suscipiendum. lib.2.pag.71.

CVm *Romanus populus ab hostibus pœnas illatę iniuriæ vellet expetere*, vnus ex fecialibus, (*erat hoc collegium à Numa institutum, virorum quidem nobilissimorum toto vitæ curriculo sacerdotium exercentium*) quem reliqui delegerint, ornatus veste, & sacris insignibus, vt præter cæteros sit conspicuus, ad vrbem eorum, qui fecerunt iniuriam, venit, & in ipsis eorum finibus stans, & Iouem, cæterosque deos inuocans, testatur se venire, vt pro populo R. pœnas repetat. Deinde, postquam iurauit, se ad ciuitatem venire, quæ populo Rom. fecit iniuriam, postquam etiam grauissimas imprecationes sibi, & ciuitati suæ imprecatus est si quid mentiatur: tum demum fines ingreditur, deinde in quem primum incidit, siue ille rusticus, siue vrbanus sit, cum testatus, & iisdem execrationibus adhibitis vrbem petit, atque antequam eam ingrediatur, portarum custodem, vel eum, qui primus ad portas sibi occurrit, eodem modo testatus in forum progreditur, atque ibi gradum sistens, magistratibus sui

ad-

aduentus causam aperit, semper iusiurandū, & imprecationes adiiciens. Quòd si illi iudicium subeant, & sontes dedant, tunc illos abducens, amicus ab amicis discedit. Quòd si tempus ad deliberandum petant, concessis decem diebus eò redit, & quandiù illi petunt ipse eorum postulata admittit: sed triginta diebus elapsis, nisi ciuitas ea ius suum ipsi tribuat, obtestatus, & superos, & inferos deos, & illud tantùm addens, populum R. de illis per otium deliberaturum, discedit. Postea reuersus cum reliquis fecialibus ad senatum, refert à se peractum quidquid ex sacratis legibus fas est, & si bellum decernere velint, per deos illis licere. Quòd si nihil horum factum fuerit, neque in senatus, neque in populi potestate est bellum decernere.

71.

Ecclesiastici, non subijciuntur iudicio sæculari . lib. 2. pag. 71. & 72.

R*Es ad sacra pertinentes, ipsos cognoscere Pontifices instituisse Numam Dionysius affirmat, his verbis*. Etenim hi cognoscunt de omnibus causis ad sacra pertinentibus, & inter priuatos, & magistratus, & deorum ministros. Et leges ferunt de sacris, quæ non sunt scripta, aut quæ moribus non sunt recepta, & ipsimet arbitratu suo leges, & consuetudines eligunt, quas omnium optimas iudicarint. Et omnes magistratus quorum curæ sacrificia,

& deo-

& deorum cultus est commissus, & omnes sacerdotes examinant. Isti etiam cauent, ne quid eorum famuli, & ministri, quorum opera in sacris vtuntur, contra sacratas leges admittant: priuatisque hominibus qui deorum, vel geniorum cultum ignorant, sunt enarratores, & interpretes, & si quos animaduertant suis mandatis non parere, pro cuiusque delicti magnitudine eos mulctant: ipsiq. nulli iudicio, nulliq. mul'ctæ sunt obnoxii, neque senatui, neque populo dictorum, factorumque rationes reddunt.

72.

Non vsurpandæ possessiones aliorum. lib. 2. p. 72.] *Quod non audiuit Achab, agrum Naboth, tam scelerato facinore volens possidere.* 3. Reg. 21. 2.

NVma, vt vnusquisque sua sorte contentus esset, nec res alienas appeteret, cauit lege de terminandis prædiis lata. Cùm enim iussisset, vnumquemque suum agrum circumscribere, & lapides in finibus ponere. Lapides illos Ioui Terminali sacros esse voluit, iussitq. omnes die stato, quotannis in eum locum conuenientes, illis sacrificia facere, die festo cum primis nobili in deorum etiam Terminalium honorē sacrato. Romani hunc à terminis Terminalia vocant, & fines, quos τέρμονας appellamus, ipsi facta vnius literæ mutatione, nostram linguam imi-

imitantes, terminos appellant. Si quis verò sustulisset, aut suo loco mouisset, terminos, eum, qui tale quid patrare ausus fuisset, huic deo sacrum esse sanxit, vt cuilibet impunè eum interficere, tanquam sacrilegum, liceret, & purus ab eo piaculo esset. Hoc autem ius non solùm in priuatis agris constituit, sed etiam in publicis illos quoque terminis cõplexus, vt etiam Pop. Rom. agrum à vicino, & publicum à priuato dij Terminales discernerent.

73.

Fides publica, non violanda. lib. 2. pag. 72.

NVma ad frugalitatem, & temperantiam exercēdam, ciues suos his legibus propensiores reddidit, & effecit, vt in contractibus id quod æquum est sequerentur: excogitata re, ab omnibus, qui celebres rerumpublicarum formas antè instituerant, ignorata. Quum enim animaduertisset, contractus eos, qui palàm, & testibus adhibitis fierent, pudore quo homines afficiuntur, ob præsentiã eorum, qui illis intersunt, seruari, & à perpaucis quibusdam violari: eos verò, qui sine testibus fierent, (quorum longè maior est numerus, quam aliorum) sola contrahentium fide custodiri, huic præcipuè præter cætera omnia strenuam operam dandam, hancque diuinis honoribus dignandam censuit. Nam Iustitiam, & Themin, & Nemesin, & eas, quæ

à Græ-

à Græcis vocantur Erinnyes, & quæcunque numina his sunt similia, á maioribus satis amplos honores, & cultum consequuta existimauit: sed fidem, qua apud mortales nulla res est, aut maior, aut sanctior, animaduertit, nullos dum cultus, vel apud respub. vel apud priuatos homines consequutam. Hæc igitur cogitans primus omnium mortalium templum fidei publicæ erexit, dicauitque, eique sacrificia instituit, vt & aliis dijs, quæ publico sumptu fiebant. Nam publica ciuitatis fides, & constantia erga homines, temporis progressu priuatorum quoque mores tales erat redditura. Fides autem res adeò veneranda, & non violanda habebatur, vt sua cuique fides maximum esset iusiurandum, vel omni testimonio longé validius: & quoties de contractu sine testibus facto inter aliquos aliquid cõtrouersiæ ortum fuisset, ipsa fides alterius partis disceptantium litem dirimebat, neque vlteriùs contentionem progredi patiebatur. Et magistratus, & iudices maximam controuersiarum partem, fidei iureiurando interposito dirimebant. Atque hæc ea sunt, quæ Numa, vt homines ad temperantiam adhortaretur, ac impelleret, & ad iustitiam cogeret, tunc excogitauit: quibus meliorem ordinem in republica Romana constituit, quàm qui esse posset in domo optimè administrata.

C *Prin-*

imitantes, terminos appellant. Si quis verò sustulisset, aut suo loco mouisset, terminos, eum, qui tale quid patrare ausus fuisset, huic deo sacrum esse sanxit, vt cuilibet impunè eum interficere, tanquam sacrilegum, liceret, & purus ab eo piaculo esset. Hoc autem ius non solùm in priuatis agris constituit, sed etiam in publicis illos quoque terminis cōplexus, vt etiam Pop. Rom. agrum à vicino, & publicum à priuato dij Terminales discernerent.

73.

Fides publica, non violanda. lib. 2. pag. 72.

NVma ad frugalitatem, & temperantiam exercēdam, ciues suos his legibus propensiores reddidit, & effecit, vt in contractibus id quod æquum est sequerentur: excogitata re, ab omnibus, qui celebres rerumpublicarum formas antè instituerant, ignorata. Quum enim animaduertisset, contractus eos, qui palàm, & testibus adhibitis fierent, pudore quo homines afficiuntur, ob præsentiā eorum, qui illis intersunt, seruari, & à perpaucis quibusdam violari: eos verò, qui sine testibus fierent, (quorum longè maior est numerus, quam aliorum) sola contrahentium fide custodiri, huic præcipuè præter cætera omnia strenuam operam dandam, hancque diuinis honoribus dignandam censuit. Nam Iustitiam, & Themin, & Nemesin, & eas, quæ

à Græ-

à Græcis vocantur Erinnyes, & quæcunque numina his sunt similia, á maioribus satis amplos honores, & cultum consequuta existimauit: sed fidem, qua apud mortales nulla res est, aut maior, aut sanctior, animaduertit, nullos dum cultus, vel apud respub. vel apud priuatos homines consequutam. Hæc igitur cogitans primus omnium mortalium templum fidei publicæ erexit, dicauitque, eique sacrificia instituit, vt & aliis dijs, quæ publico sumptu fiebant. Nam publica ciuitatis fides, & constantia erga homines, temporis progressu priuatorum quoque mores tales erat redditura. Fides autem res adeò veneranda, & non violanda habebatur, vt sua cuique fides maximum esset iusiurandum, vel omni testimonio longé validius: & quoties de contractu sine testibus facto inter aliquos aliquid cõtrouersiæ ortum fuisset, ipsa fides alterius partis disceptantium litem dirimebat, neque vlteriùs contentionem progredi patiebatur. Et magistratus, & iudices maximam controuersiarum partem, fidei iureiurando interposito dirimebant. Atque hæc ea sunt, quæ Numa, vt homines ad temperantiam adhortaretur, ac impelleret, & ad iustitiam cogeret, tunc excogitauit: quibus meliorem ordinem in republica Romana constituit, quàm qui esse posset in domo optimè administrata.

74.

Princeps initio dominationis liberalitate populũ sibi deuincit. l.3.p.73.

TVllus Hostilius, simulatq. regnum est adeptus, edito facinore longè omnium præclarissimo, omnes qui de plebe erant mercenarij, & egeni, sibi deuinxit. Id autem eiusmodi fuit. Superiores reges eximium, magnum, & vberem agrum habebant, ex cuius prouentibus, & dijs sacra faciebant, & res ad victum suum necessarias abundè habebant, quem Romulus iure belli ademptum ijs, qui tunc eum possidebant sibi pararat: sed cùm ille sine liberis obiisset, Numa Pompilius rex, qui ei successit, eo fruebatur. Is autem ager ampliùs non erat publicus, sed propria regum sors, & possessio semper erat. Tullus igitur permisit, vt hæc possessio Romanis quibus nullus ager esset, viritim diuideretur, asserens patrimoniũ sibi, & ad sacra, & reliquos domesticos sumptus sufficere. Hac autem liberalitate ciues inopes recreauit, effecitq. ne alijs amplius seruirent. Nequis verò expers domicilii esset, eum collem, qui Cælius nuncupatur muris Vrbis adiunxit, vbi omnes Romani quotquot sine lare erant, adepti quantum loci sat erat, domos ædificarunt, ibiq. ipse suas sedes fixit.

75.

Diuites, superflua pauperibus erogent. vt sup.

Sæpe

76.

Sæpè qui à cõditione priuatus, summam dignitatem fuerit assequutus, nouam etiam sententiam sumit, & si antea bellum cupiebat, tunc abhorret . lib.3.p.75.

M*Ortuo repentè Cluilio Albanorum duce, in eius locum suffectus est Metius Suffetius*, vir neque belli dux idoneus, neque pacis custos firmus: qui, si quisquam alius Albanorum, quum ab initio cuperet discordiam inter has duas ciuitates excitare, & propterea post Cluilii obitum imperio dignus ab Albanis iudicatus fuisset: tamen postquam imperium est adeptus, & cognouit incommoda, & difficultates omnes præsentis rerum status, non perstitit amplius in eadem sententia, sed censuit cunctandum, & tempus terendum: quòd videret neque omnes Albanos amplius ad bellum eadem animi alacritate propensos, neque sibi sacrificanti victimarum exta satis fœlicem prælii exitum portendere.

77.

Rege in externo aliquo bello occupato, subditi rebellionis occasionem captant . lib.4.pag.75.

VEientes, & Fidenates, quos Romanorum imperio Romulus dedi coegit, oblata sub Tullo Hostilio occasione cum Albanis prælium instituente, ad libertatem iterum aspirant. Aliquandiù igitur cōsilium defectionis ipsorum dissimulatum est, sed Albano demum bello patefactum est. Cùm enim audissent Romanos ex suis finibus egressos totis viribus, vt prælio cum Albanis decernerent, rati se optimam eos inuadendi occasionem nactos, clam potentissimi quique coniurarant, vt omnes qui per ætatem arma ferre possent, Fidenas conuenirent, clam, & rari eò venientes, vt ita insidiæ, quæ Romanis parabantur minimè innotescerent: atque ibi subsistentes occasionem expectarent, quando Romanorum, & Albanorum copiæ castris derelictis ad certamen prodirent.

78.

Prosperitas parit inuidiam, & odiū.

lib. 3. pag. 77.] *Quid enim odiosum fecit Ioseph fratribus, nisi vestis polymita?* Genes. 37. 3.

TVllus Hostilius Suffetium Albanorum imperatorem alloquitur. Propterea tantùm nos odio prosequimini, quia fortuna magis prospera, quàm vos vti videmus.

Nullus

79.

Nullus firmus amicus esse potest ei, cui est suspectus, & exosus, ideo ad charitatẽ cõseruandam fores animi claudendi, auersionibus, & suspicionibus cum proximis. lib.2.pag.72.

T*Vllus Hostilius his Suffetium Albanorum regem vocibus compellat.* Item si Romani Albanos suspectos habere, quasi sibi semper insidientur, & si ab illis, tanquam ab hostibus sibi cauere desinãt. Nullus enim amicus firmus esse potest ei, cui est exosus.

80.

Suspiciones, amicitiam infirmant. vt sup.

81.

Charitas non laeditur ab inuidia, si aliena prosperitas communis eam ducat. lib.3.p.77.

T*Vllus Hostilius Suffetium Albanorũ regẽ alloquens, ait,* Non si in foederis conditionibus haec scripserimus, neq. si vtrique per sacra iurauerimus: parua enim, & infirma sunt haec praesidia, sed si alteri alterorũ prosperitatẽ cõmunẽ duxerimus. Vnũ enim est, ò Suffeti, doloris, quẽ homines ex aliorũ bonis capiũt, remediũ, si nimirũ qui inuidẽt aliorum bonis, nõ putẽt ea esse ampliùs aliena.

82.

***Humana nobilitas, nisi in virtute posita*. lib.3. pag.79.**

TVllus Hostilius *Suffetium Albanorum regem alloquens, ait*. Et apud nos imperat,& senator est, ac reip.consulit, alijsque honoribus fruitur, non qui multum opibus pollet, neque qui longam suorum maiorum indigenarum seriem potest ostendere, sed quicunque his honoribus fuerit dignus: humanam enim nobilitatem in nulla alia re, quàm in ipsa virtute positam, censemus.

83.

***Dignitates, non nobilibus, sed dignis conferendæ*. vt sup.**

84.

***Bona contentio, & æmulatio in virtute*. lib.3. pag.79.**

TVllus *Hostilius Suffetium Albanorum regem alloquens, ait*, Seditiones veró nostræ, quia has etiam nobis obiicis,ò Suffeti,non ad perniciem, vel diminutionem, sed ad salutem,& incrementa reip. faciunt.Contendimus enim nos iuniores cum senioribus, & aduenæ cum indigenis, vtri maiora beneficia in remp. conferant.

Prin-

85.

Principes decet esse paratos, omni periculo belli se exponere, pro salute, vel gloria populorum. lib.3.p.80.

TVllus minimo hominum numero, belli totius fortunam committendam esse censebat, ita vt vnus Albanorum præstantissimus, cum vno Romanorum fortissimo prælio singulari decerneret, & ipse ad dimicandum pro patria paratus erat, prouocans Albanum ducem ad parem virtutis æmulationem, & declarans præclara esse certamina, quæ imperatores pro principatu, & potentatu suscipiunt, non solùm si viros fortes superent, sed etiam si ipsi à viris fortibus superentur: & recensens multa imperatorum, atque regum exempla, qui reip. causa caput periculis obiectarant, quòd indignum putarent, sibi quidem maximos honores deferri, minimum verò bellicarum molestiarum à se suscipi.

86.

Qui habent munera, & honores, debent etiam ferre onera, & labores. vt sup.

87.

Filÿ absque voluntate parentum,

nihil moliri debent, sed ijs in omnibus parere. lib 3.pag.82.

H*oratiorũ militũ natu maximus de ineũdo cũ Curiatijs certamine interrogatus, ad Tullũ, sic ait.* Si Tulle, liberi, & nostri iuris essemus, ac nobis potestatem fecisses consultandi de certamine cum consobrinis ineundo, nulla interposita mora respondissemus tibi, quænam sit nostra voluntas: sed quando nobis pater est superstes, sine quo nihil ne minimum quidem, aut dicere, aut facere nobis licere putamus, rogamus te, vt paulisper nostrum expectes responsum, donec cũ patre hac de re agamus. Laudata à Tullo eorum pietate, & iussis illis ita facere, ad patrem iuerunt. Postquam autem declararunt, quid Suffetius proposuisset, & verba, quæ Tullus fecerat, & tandem suam responsionẽ, eum rogarunt, vt diceret suam hac de re sententiam. Ille verò excepta eorum oratione, Rem piam (inquit) ò filij, facitis, qui ad patris voluntatem viuatis, neque quidquam sine meo consensu faciatis.

88.

Principibus, grauia negotia nunquam absque maturo consilio expedienda. lib.3.pag.81.& 82.

S*uffetius cùm belli inter suos, & Romanos exitum, discrimenque Curiatijs, Horatijsq.*

tra-

tradendam hortaretur. Tullus eam admonitionem non est aspernatus:sed factis decem dierum induciis, per quos deliberaret, & cognita Horatiorum voluntate, respondere posset, in vrbem est reuersus. Sequentibus autem diebus consultatione cum optimatibus habita,postquam maiori parti visum est, Suffetij conditiones, & admonitionem admittere, accersiuit trigeminos fratres, atque ita eos est alloquutus, Horatij,Suffetius cum venisset mecum in colloquium, in postremo concilio in castris habito, dixit Diuina prouidentia factum, vt tres viri fortes ad cartaminis periculum pro vtraque ciuitate subeundum iam parati essent, quibus neque alios generosiores, neque magis idoneos reperire possemus. Ex Albanis quidem Curiatij, ex Romanis verò vos ipsi: atque hac re cognita, dixit se illud primum perscrutatum esse, an vellent vestri consobrini patriæ sua corpora donare. Quare, cùm eos ad decernendum de summa rerum paratos vidisset, magna animi alacritate, & confidentia, tum demum suum cosilium in medium protulisse,& me rogasse,vt explorarem quis nã sit vester animus, vtrum pro patria cum Curiatijs dimicantes periclitari, an istum honorem alijs concedere velitis. Equidem illi ego modestè respondi, vos, tum quia forti animo, tum quia manu strenui estis (quod certè neminem latet) summa animi alacritate præter omnes, pro honore, & gloria periculum subituros. Sed veritus ne

cognatio, quæ vobis cum trigeminis Albanis intercedit vestram alacritatem impediret, tempus ad deliberandum postulaui, factis decem dierum induciis. Et simul, atque huc veni, senatum coegi, & rem in medio proposui, vt ab omnibus despiceretur. Cùm autem maior senatus pars decreuerit, vt si lubenti animo certamen honestum, vobisque cōsentaneum susceperitis, ad quod pro omnibus subeundum, ego solus paratus eram, vos collaudemus, vestrumque beneficium accipiamus. Si verò cognationis piaculum veriti, hoc recusaritis, nullam vobis necessitatem afferamus. Cùm inquam senatus hoc decreuerit, neque iniquo animo sit laturus si hanc prouinciam grauatè susceperitis, neque paruam gratiam vobis sit habiturus, si recto consilio inito patriam vestram cognationi prætuleritis, vestrum est iam deliberare, quid nam facturi sitis.

89.

Honestas cognationi anteponenda. lib. 3. pag. 82.

H*Oratij, vbi à patre licentiam ineundi cũ hoste Albano certaminis impetrarunt, ita Tullo responderunt*; Mallemus mori, quám viuere præter tuam, & maiorum nostrorum dignitatem. Cognationem autem, quæ nobis cum consobrinis intercedit, nō nos prio-

res

res soluimus: sed quia á fortuna fuit dissoluta, hoc æquo animo feremus. Si enim Curiatij honestatem cognationi anteponunt, certè ne Horatij quidem genus virtuti præferent.

90.

Mulieres magis diligunt sponsos, quàm fratres. lib. 3. p. 84.] *Quid mirum? quando coniugij cognatio præfertur etiam, illi parentum.* Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Gen. 2. 24.

H*oratia Horatiorum soror, sed Curiatiorum vni sponsa addicenda, cùm resciisset sponsum suum à fratre interfectum, eius morte magis commota est, quàm fratris victoria fratremque veluti feram esse duxit, humani sanguinis siti flagrantem, & impium, his verbis aggressa est.* O scelestissime mortalium, exultas quòd tuos consobrinos interfeceris, & me tuam sororem miserrimam nuptijs orbaris? O infœlix, neque te miseret cognatorum cæsorum, quos fratres appellabas? sed quasi præclarum aliquod facinus patraris, præ lætitia mentis es impos, & in tantis calamitatibus coronatus incedis? Cuiùsnam feræ animum habes?

91.

Omnia bona, Deo referenda . lib. 3. p.60.] *Quod voluit Apostolus* Quid habes, quod non accepisti? 1.Cor.4.7.

T*Vllus Hostilius cùm repressisset Albanorum proditionem, cum quibus fœdus ipse inierat, ait, se omnia fausta diis referre*; omnes enim res præclarè, & benè gestas illis (*inquit*) acceptas fero.

92.

Nota apud multos, secreta esse non possunt, ne momento quidem . lib.3.pag.91.

T*Vllus negans multitudinem Albanorum proditionis causam cum Romanis fuisse, quam Metius concitauit, ait*, quia quæ multi sciunt, ea, ne per minimum quidem temporis spatium silentio tegi solent.

93.

Pœna atrox proditori debetur . lib.3. pag. 92.

SVffetium indignantem, & solùm vociferantem, & fœdera implorantem, quæ ab ipso violata fuisse constabat, & ne in malis quidem de sua audacia quidquam remittentem, virgis multùm ceciderunt, ac propemodum lacerarunt. Sed postquam in eum

hoc

hoc supplicij genere saus sæuitum est: binas bigas admouerunt ad eum, & eius brachia ad alteras. ad alteras ipsos pedes loris longis alligarunt, atque ipsis aurigis in diuersas partes bigas agentibus humi raptatus, & ab vtriusque bigis in contrarias partes tractus, breui temporis spatio discerptus est. Atque Metius Suffetius hunc miserum, & fœdum vitæ finem est sortitus.

94.

Nobiles ægrè admittunt diuites ignobiles. lib. 3 pag. 98.

F*Ratre Tarquinii, quem Lucumonem appellarunt ex Hetruscorum genere, vita perfuncto, Demaratus pater graui dolore pariter enectus, conficitur, vnico paterna fortuna harede relicto Lucumone*, qui adeptus tam amplũ patrimonium, immiscere se rebus, & remp. gerere, & inter præcipuos ciues censeri volebat. Sed cùm vndique ab indigenis repelleretur, & ne inter mediocres quidem locum obtinere posset, ne dum inter primarios, eam ignominiam iniquo animo ferebat. Quare cùm audisset populum Romanum omnes peregrinos lubenter recipere, & ciuitate donare, ac pro dignitate vnumquemque honorare, eò sedes transferre statuit, vndique suis omnibus rebus collectis, & adducta vxore cæterisque amicis, ac domesticis quotquot sequi voluissent.

Popu-

95.

Populares diuitijs aucti, statim ad nobilitatem aspirant. vt sup.

96.

De aduersitate non adeo tristandum, quia sæpè vtilis, & causa boni maioris.] *Forsan dolebit Ioseph, à fratribus Aegyptijs venditus, quando seruus, & mancipium in Aegyptum adductus, Prorex euenit Aegypti.* Gen. 41. 41.

LVcumo qui priùs Tarquinius, cùm sese Hetruscis dignitatibus immiscere, clauamq. administranda reipublicę, cæteris repellentibus senatoribus, regere non posset, Hetruriam linquens, maiorem cum Romanis fortunã initurus, vrbem petiit, itaque ab Hetruscis eiectus, Romanos tam propitios habuit, vt iis fauentibus, ad regiæ dignitatis fastigium auolauerit.

97.

Hostis nunquam contemnendus, licèt inferior. lib. 3. pag. 102.

TArquinius Romanorum rex, Fidenas ab Hetruscis captas vindicaturus, profectus est, cum ingenti exercitu ab vrbe, cuius alteram partem ipse, alteram Egerius cognatus eius

eius ducebat. Accidit autem, vt cùm proximè essent Fidenis pars cui Egerius præerat, quòd hostes contemneret *parum abfuerit, quin tota deleretur*. Qui enim Fidenis erant præsidio, nouis auxilijs ab Hetruscis clám accersitis, & obseruato tempore opportuno, vrbe egressi, vallum hostium malé custoditum primo impetu ceperunt, & magnam ediderunt cædem eorum qui pabulatum iuerãt.

98.

Subditi amore, magis quàm timore, seruandi. l.3.p.103.& 104.

T*Arquinius ad Hetruscorum legatos, pacẽ ab eo petentium*. Audite nunc (*inquit*) quibus conditionibus pacem sim facturus; & quæ beneficia in vos sim collaturus, neque quemquam Hetruscorum interficere, neque expellere patria, neque fortunis spoliare, aut pecunia mulctare decreui: sed vobis permitto, vt omnes vrbes vestræ sint sine præsidijs, & nullum tributum pendant & sui iuris fiat: concedo etiam vnicuique, vt pristinam ciuitatis formam, & statum retineat. Quare cùm hæc vobis concedam, pro meis omnibus in vos beneficijs illud vnum me à vobis impetrare oportere existimo, nimirum imperium ciuitatum, quarum, vel vobis inuitis, donec armis superior ero, dominus sum futurus. Sed hoc à vobis po-

potiùs volentibus, quàm nolentibus, impetrare volo.

99.

Pauperes victus inopia laborantes, nil generosi agere possunt. lib. 4. pag. 114.

ITa *sensisse Tullum, refert Dionysius in oratione eius ad populum*. Placetque mihi agrum publicum, quem armis quæsitum possidetis, non ab impudentissimo quoque, vt nunc fit, neque gratis acceptum, neque pretio comparatum occupari, sed eorum esse, qui inter vos adhuc nullam agri portionem habent, ne, quem liberi sitis, seruiatis, neue alienos fundos, sed vestros colatis: nihil enim generosi sapere possunt, qui rerum ad victum quotidianum necessariarum inopia laborant.

100.

Serui à domino nihil natura differunt, ideò non contemnendi. lib. 4. pag. 120.

TVllius, vel ipsos seruos, qui libertate donabantur, nisi in suam patriam redire maluissent, in ciuitatem, & iuris æquabilitatem recipi iussit. Cùm enim istis quoque permisisset, vt liberè cnm cæteris ingenuis suas fortunas censerent, eos distribuit in quatuor tribus vrbanas, in quas ad nostra vsque tempora referri solent. Libertorum autem nationem, quantacunque illa esset,

ad

ad omnia publica munia admisit, ad quæ reliquis quoque plebeis aditus patet. Patricijs verò id ægrè, & molestè ferentibus, conuocato ad concionem populo, primùm dixit se mirari, quòd ipsi hoc suum factum iniquo animo ferrent, & putarent ingenuos differre à seruis natura, non autem fortuna: deinde quòd eos, qui honoribus sunt digni, non ex moribus, sed ex fortuna, & conditione spectandos censerent, præsertim cùm viderent quàm instabilis, & mutabilis sit res, ista fœlicitas, & quàm difficile sit, vel in quantumuis beatis hominibus asserere quamdiù hæc ipsis sit duratura: eosq. rogabat, vt considerarent quot ciuitates tam barbaræ, quàm Græcæ iam ex seruitute in libertatem vindicatæ essent: & quot ex libertate in seruitutem redactæ

101.

Principatus, inuidiosus plus molestiarũ, quàm voluptatũ, habẽs, sine quiete, & cum periculis. l. 4. p. 126.

TVllius *Tarquinius respondens*. Quo tẽpore (*inquit*) reipublicæ curam suscepi, cùm insidias quasdã mihi strui præsensissem, rerum administrationem populo tradere volui, & ad concionem conuocatis omnibus imperium ipsis restituere paratum eram, cum hoc principatu inuidioso, & plus molestiarum quàm voluptatum habente, quietem periculis carentem commutaturus.

102.

Captanda statim occasio, quando mora noxia est. l.4.p.128.& 129.]

Quod non fecerunt ij, qui non cognouerunt diem visitationis suæ. Luc.19.44.

T*Arquinius Tullium de curia gradibus in comitium ferentibus deiecit, regno, functo rege, potiturus, sed cùm Tullius euasisset, domumq. paucis substentātibus deduceretur, scelestissima eius filia, Tarquinium in patrem ita incitauit.* Primus conatus, Tarquini, vt debuit nobis successit: sed viuente Tullio regnum firmum habere non poteris. Ille enim denuo populum suis concionibus in te concitabit, si vel nimium huius diei tempus superfuerit. Scis autem, quanta sit populi erga eum beneuolentia. Quare, antequam domum se recipiat, missis qui illum interficiant, eum de medio tolle. Cum hæc dixisset, & Carpentum denuó conscendisset, abijt. Tarquinius verò ratus se hac quoque in re ab vxore scelestissima rectè moneri, in eum mittit quosdam famulos cum ensibus, qui magna celeritate confecto viæ spatio, quod intererat, Tullium non procul à domo nacti, trucidarunt.

103.

Quantum referant ad maritos mores vxoris, boni, vel mali. vt sup.

Prin-

104.

Principes plebem occupare debent, nec sinere otiari, ne cogitet seditiones, & rebelliones .l.4.p.131.

T. *Arquinius plebem rebus, quibus ipsa magis videbatur idonea, incumbere instituit, eamque ex otio ad laborem impulit;* Existimans maximum esse periculum Monarchis, quoties improbissimi, & pauperrimi ciues otiarentur.

105.

Pueri reuelant secreta domus, ideòque ijs non committenda. lib. 4. pag. 136. & 137.

I *Nuento sub arce Tarpeia hominis capite Tarquinius Hetruscorum vatem celeberrimum per legatos, quidnam hoc prodigium portenderet, consuluit.* Quibus ad illius domum profectis fortè adolescentulus quidam progressus obuiam venit, cui cum dixissent, se Romanos legatos esse, qui vatem alloqui vellent, vt se ad eum deduceret rogabant. Et adolescens respondit, Pater meus est, quẽ vultis alloqui, sed iam est occupatus, at aliquanto post ad eum poteritis accedere. Verùm, dum eum expectatis, mihi vestri aduentus causam aperite. Ita enim fiet, vt si qua in re ob imperitiam peccaturi essetis, à me

me edocti in interrogatione nihil peccetis. Recta enim interrogatio, in artis diuinatoriæ præceptis non minimum pondus habet. Illi ita faciendum censuerunt, & prodigium ei exposuerunt. Is, eo audito, & breui silentio interposito: Audite, inquit, Romani, prodigium quidem hoc pater meus vobis interpretabitur, nec mentietur, vati enim est nefas. Quæ verò vos dicturi, & ad eius interrogata rectè, & verè sitis responsuri (vestra enim interest hæc antè scire) hæc à me accipite. Post prodigium ipsi enarratum, ipse dicens se non satis benè percipere quid dicatis, certum terræ spatium baculo circumscribet, deinde vobis dicet, Hic est Tarpeius collis, hæc verò orientalis eius pars, hæc occidentalis, hæc septentrionalis, hæc ei opposita. Has omnes partes baculo ostendens, quæret ex vobis in quanam harum partium caput inuentum fuerit. Quid igitur vobis suadeo, vt respondeatis? vt caueatis, ne in vlla earum partium, quas ille baculo ostendens sciscitatus fuerit, inuentum prodigium dicatis, sed Romæ, apud vos, in colle Tarpeio id apparuisse respondeatis. Si hæc responsa seruaritis, nec ab eo fueritis seducti, ille quia probè scit facta mutari non posse, quid illud prodigium portendat, ac significet, vobis explicabit, neque vos celabit.

Ma-

106.

Magistratus non debent esse perpetui, quia tunc populo odiosi, & sapè in tyrannidem conuertuntur. lib.4.pag.142.

B*Rutus, pulsis ab vrbe regibus, concionem adiens, prę cęteris hæc asseruit.* Præterea quòd omnium à me dictorum longè vtilissimum fore arbitror, & quód præcipué eos, qui hunc magistratum accipient in officio continebit, ne toties delinquant, illud est: *ne iidem perpetuum imperium, & cum vita finiendum habeant. (Omnibus enim pergrauis est magistratus, cui nullum certum tempus est præfinitum, & qui nullis actorum suorum reddendis rationibus obnoxius est: vnde tyrannis nascitur) sed author sum, vt magistratus potestas in annuum tempus contrahatur, quemadmodum fit apud Athenienses. Nam quòd idem partim imperet, & partim pareat, & antequàm animus, sanàq. mens corrumpatur, ab ea potestate remoueatur, hoc fastosa ingenia reprimit, nec mores hominum illa potestate inebriari sinit. Hęc si ita constituerimus, licebit nobis regię gubernationis bonis frui, & malorum, quę illam comitantur immunes esse.*

107.

***Mali parentis, mali existimandi filij*. lib. 4. p. 145.]** Non potest, *ait Saluator*, arbor mala bonos fructus facere. Matt. 7. 18. *Hinc Ioannes appellabat Pharisaos*, Genimina viperarum. Luc 3. 7.

BRutus, *vt populo Romano odiosum redderet vniuersum regum genus*; Quando enim, *inquit*, is qui ex homine priuato factus est tyrannus, & qui serò improbitatem exercere cœpit, in omnibus tyrannicis vitiis sese accuratissimè exercuit: qualem oportet existimare eius progeniem futuram, malo genere natam, & malè educatam: cui nulla vnquam ciuilia, aut moderata acta ipsius videre, aut audire licuit.

108.

***Subditi facilè insurgunt contra principem, tyrannicè agentem*. lib. 4. pag. 145.**

BRuti verba *tyrannidem cunctis inuisam esse, cunctosque pro libertate facilè dimicaturos erudiunt*. Tyrannis omnibus libertatis studiosis est inuisa, quòd si qui vestrum timent ciues, qui in castris vnà cum Tarquinio sunt, quasi sint illum adiuturi, & nobis bellum illaturi: hi malè faciunt, quod si ea causa timeant. Nam & illis molesta est tyrannis,

rannis, & in omnibus mortalibus libertatis desiderium est innatum.

109.

Homines non credunt maiora expertis. lib.5. pag.150.

D*Ionysius Halicarnass. quadam mirabilia narraturus, sic ait.* Quæ verò mox dicturus sum facta alterius consulis Bruti, magna, & admiranda, ob quæ maximè Romani se iactant: vereor ne aliis Græcis dura nimis, & non credenda videantur: quia omnes hoc natura comparatum habent, vt ex suis rebus domesticis iudicium faciant de iis, quæ de aliis dicuntur, & quod credibile est, non credendum existiment.

110.

Iustitia æquè exercenda cum affinibus, qui dum rei inueniuntur, puniendi. lib.5. pag.150.

I*Llustris documentum facinoris prębuit consul ille Brutus, qui (ait Dionysius Halicarnass.) accusatis filiis suis coniurationis de reducendo Romam Tarquinio,* Simulatq. dies illuxit, pro tribunali sedens, & coniuratorum epistolas considerans, vbi vtriusque filii literas ex sigillo agnouit, & mox resignatis illis eorum quoque manus apparuit, vtrãque à scri-

à scriba recitari iussit, vt ab omnibus, qui præsentes ibi aderant exaudirentur: deinde filijs, si vellent, dicendi potestatem facit. Sed cùm neuter eorum factum impudenter inficiari auderet, quod iam de se actum esse persuasum haberent, ambo flebant. Ille verò paulum cunctatus surrexit, & silentio per præconem indicto, expectantibus omnibus quis rei futurus esset exitus, capitalem sententiam in filios pronunciauit: qua audita, omnes clamorem sustulerunt, quia indignum facinus putabant, talem virum morte filiorum mulctari, & adolescentum vitam patri condonare volebant. At ille neque eorum clamoribus, neque etiam gemitibus commotus, iuuenes plorantes, & supplicantes, & blandissimis quibusque appellationibus ipsum appellantes, à lictoribus abduci iussit. Atque hoc quidem omnibus mirum est visum, quòd ille neque ciuium precibus, neque miserationi filiorum vllum locum dedisset. Sed longè magis admirandum fuit, quod nullis rationibus exorari potuit, vt de eorum supplicio aliquid remitteret. Neque enim passus est filios suos in alium quempiā locum abduci, & procul à totius populi cōspectu necari: neque ipse è foro recessit antequam de illis sumptum esset supplicium, atrox illud spectaculum auersatus: neque sine flagrorum ignominia eos capitali supplicio, quo damnati erant, affici passus est: Sed exegit quæcunq. leges in maleficos statuunt, idq. in foro, in omnium conspectu: & post-

postquam illorum corpora virgis lacerata fuerunt, ita demum ipse, qui præsens aderat dum hæc omnia fierent, illos securi percuti permisit. Sed quod omnem fidem superat, & quod præcipuè in illo viro admirandum putatur; fuit vultus immotus, nullisque lacrymis irrigatus; siquidem cùm flerent, cæteri omnes, qui illi miserando spectaculo intererant, ipse solus neque deflens suorum filiorum mortem, neque futuram suæ familiæ desolationem, ac solicitudinem lugens, neque vllum aliud animi mollis signum dans ab vllo conspectus est: sed sine lacrymis, & sine gemitu immoto vultu permanens generoso animo suam calamitatē pertulit. Adeò firmo & constanti erat animo in rebus decretis seruandis & exequendis, & adeó constans in vicendij affectibus, qui rationem perturbare solent.

III.

Exemplum constantiæ parentis in morte filij . vt sup.

112.

Magistratum gerentes, debent auferre omnem suspicionem affectati dominij. l. 5. p. 154. & 155.

POst Bruti mortem, eius collega Valerius apud plebem in suspicionem regni affectatu venit: primùm quidem quòd solus

magistratum retineret, cùm tamen oporteret illum statim collegam sibi cooptare, quemadmodum fecerat Brutus expulso Collatino: deinde, quòd domum in loco inuidioso ædificasset, delecto ad id colle, qui foro imminebat, quique satis altus & præruptus, ac proinde natura munitus erat, quem Romani Veliam vocant. Sed admonitus à suis familiaribus, populum hæc molestè ferre, comitiorum die indicta, consulem creat Sp. Lucretiũ, qui non multos dies eo magistratu gesto obijt: In eius autem locum suffecit M. Horatium, omnemq. domus materiam ex illo collis loco ad imas ipsius partes transtulit, vt liceret Romanis, quemadmodum ipse in sua concione dixerat, de superiore loco lapidibus se petere, si in vlla re delinquentem se deprehendissent. Quum autem vellet plebẽ certa, minimè dubia libertatis suæ pignora habere, fascibus secures ademit: & cæteris coss. qui successerunt hunc morem reliquit, qui ad meam vsque ætatem perdurauit, vt, quando extra vrbem essent, securibus vterentur, at in ipsa vrbe solis fascibus ornarentur, legesq. humanissimas tulit in plebis fauorem, & auxilium.

113.

Optimus modus se liberandi ab inimicorum insidijs eos reconciliare. lib. 5. pag. 158. & 159.

Por-

P*orsena rex Hetruriæ Tarquinios in vrbem referens Mutij comminantis vocibus trecentos Romanos iuuenes eius vitæ haud impari, quàm ipse animo insidiari, ita territus est, vt coacto in vnum concilio, fidissimos quoque, & Aruntem filium ad sententiam ferendam assumpserit, &,* quibus rationibus hostium insidias propulsare posset, sed operam dandā nè custodijs vllis opus illi esset. Omnibus autem eius sententiam admiratibus, & quomodo id posset fieri scire cupientibus, si inquit eos ex hostibus amicos feceris, & tuam ipsius vitam antiquiorem duxeris ipsa restitutione exulum, qui sunt cum Tarquinijs. Rex optimè eum sentire dixit.

114.

Fides quanti facienda. lib. 5. p. 160.

R*Ex Hetruscorum Porsena dum vrbem Romam obsideret, Romanos ad se se obsides accersijt, & vnà cum Romanis conueniens, eos* consuli restituit, dicens se pluris facere fidem Pop. Romani, quàm omnes obsides.

115.

Donis firmanda amicitia. lib. 5. pag. 160.

P*Orsena* icto cum Romanis legatis pacis, & amicitiæ fœdere, ipsisque hospitaliter

acceptis, dono ciuitatis reducendos dedit omnes captiuos sine redemptionis pretio, quorum valdè magnus erat numerus, & locum ipsum castra posuerat, non vt castra in solo peregrino ad exiguum tempus, sed vt oppidum priuatim, ac publicé satis ornatum, quamuis mos Hetrulcorum hoc non ferret, vt quoties ex hostili agro rex castra moueret, milites erecta tentoria relinquerent, sed vrerent, tamen non cremauit: sed ita vt erat manere est passus, largitus vrbi non paruum donum, si res ad pecuniæ æstimationem reuocetur.

116.

Facta agregia pro republica dignè præmianda. lib. 5. p. 160.

ROmanorum senatus post Hetruscorum discessum coactus censuit mittendam Porsenæ sellam eburneam, & sceptrum, & coronam auream, & triumphalem vestem, qua reges ornabantur. Mutio verò, qui vltrò pro patria mortem oppetere paratus erat, quód visus fuisset belli finiendi causa præcipua, agrum de publico largiendum trans flumen Tiberim, eodem modo quo Horatio, qui antè in primo pontis aditu pugnarat quantum circum arate vno die posset. hicq. locus vsque ad nostram ætatem Mutia prata appellatur. Atque hæc quidem viris præmia dedere: at Cloeliam virginem statua ænea

do-

donaucre, quam virginum patres in via sacra, quæ in comitium fert ei erexerunt.

117.

Virtus premio compensanda, vt sup.

118.

Amicis in calamitatibus præstandum auxilium. lib. 1. p. 161.

ARuns Etruscorum regis Porsenę filius icto cum Romanis fœdere exercitus paterni partem accepit, & expeditionem contra Aricinos fecit, sed illi sociorum aduocato auxilio Etruscorum exercitum, caso duce, in fugam verterunt. Multi autem eorum in fuga, persequentibus eos Cumanis, occubuere, plerique verò dispersi, in Romanorum agros non longè distantes confugerunt, amissis armis, & vulneribus debilitati, quos Romani ex agris in vrbem plaustris & carpentis, & alijs iumentis, nonnullos semimortuos comportantes, & in suas domos ferentes, & cibis, & medicamentis, & alijs humanitatis officijs cũ magna cõmiseratione refecerunt, ita vt eorum multi his beneficijs incitatis, nullo ampliùs desiderio redeundi domum tenerentur, sed mallent apud homines benè de se meritos

remanere, quibus senatus locum urbis dedit, conuallem illam, quæ inter palatium, & Capitolium ad quatuor fermè stadiorum longitudinem ex porrigitur. vbi ædes extruerent. Quem locum ad mea vsque tempora Romani sua lingua vicum Thuscum appellant, qua transitur à foro ad circum maximum. Pro quibus officijs rex eorum illis munus rependit plurimi faciendum, quod illis fuit longè acceptissimum: agrum transtiberinum, quo ei cesserant, cùm pacem fecerunt: & sacrificia magno impendio dijs persoluerunt, quæ se illis facturos nouerant, si septem pagos recuperassent.

119.

Beneficia quantum deuinciant animos. vt sup.

120.

Exemplum fortitudis aliorum corroborat animos. l. 5. p. 165.

Victoriam Romanorum de Sabinis reportatam ita narrat Dionys. Halicarnass. Primus Posthumius, qui sinistrum cornu ducebat priorem cladem sarcire cupiens, dextrum hostium cornu loco pepulit, nullam habens suæ salutis rationem, dummodo vinceret, sed instar furentis & mortem appetentis in medios hostes se conijciens. Deinde, qui

qui cum Menenio alterum cornu tenebant, cùm iam laborarent,& loco pulsi cederent, vbi cognouerunt suos, qui cum Postumio erant hostes sibi oppositos vincere,collectis animis hostes inuaserunt, & vtrumque Sabinorum inclinantium cornu penitus fusum,ac fugatum est.

121.

Contra auaros, & lucris deditos, dum pereunt magistratus exemplum maximæ frugalitatis in viro qui in pluribus occasionibus ditescere poterat. l. 5.p.166.

V*Alerius Publicola*, qui cum tribus alijs præcipuis patritijs reges expulerat, & eorum bona publicauerat, & quater consulatum gesserat,& ex duobus grauissimis bellis confectis victoriam reportarat, & ob vtrumque triumpharat, in priorem quidem, de Hetrusca gente, in posteriore verò, de Sabinis, cùm tales parandæ pecuniæ occasiones, & facultates habuisset, quas nullus, vt turpes,& iniustas criminari potuisset, tamen non fuit captus auaritia, quæ omnes homines subactos tenet, cogitq. res inhonestas perpetrare: sed paruo patrimonio contentus temperantem,& frugalem,nulliq. cupiditati obnoxiam vitam constanter, exegit, & liberos suos in exigua re familiari educauit, tali genere dignos. Et omnibus demon-

strauit, non eum esse diuitem, qui multa possidet, sed qui paucis indiget. Frugalitatis autem, quo vir ille toto vitæ tempore est vsus, argumentum certum, & minimé dubium est ipsa rerum inopia, quæ post eius mortem apparuit. Nam ne tantum quidem fortunarum reliquit, quantum satis esset ad funeris elationem, & sepulturam tanto viro dignam: sed cognati cadauer eius ex vrbe elatum miserè, & tanquam hominis vulgaris cadauer crematuri, & humaturi erant.

122.

Diues qui propriè censendus. lib. 5. pag. 166.

V*Alerii Publicolę Dionysius Halicarnass. commendans frugalitatem omnibus demonstrauit*, non eum esse diuitem qui multa possidet, sed qui paucis indiget.

123.

Exemplis aliorum discendum. l. 5. p. 178.] *Paucis sapiens.* Prou. 24. 32. Exemplo didicisti disciplinam.

D*Ion. Halic. de dictatore acturus sic asserit*; Quas verò res Largius primus dictator creatus gesserit, & quem ornatum huic magistratui addiderit, compendiosè narrare conabor, quia existimo vtilissima lectoribus

hæc

hæc fore, quæ magnam copiam honestarum, ac vtilium exemplorum præbebunt legislatoribus, & iuuentutis doctoribus, & cæteris omnibus qui ad rempub. administrandam animum appellunt: neque enim illaudatæ, aut humilis ciuitatis instituta, & vitæ rationes, neque ignobilium, atque abiectorum hominum consilia, aut res gestas sum narraturus, ita vt aliqua in re molestus sim futurus, & videar res paruas, & leues nimis accuratè, & verbosè prosequi: sed de ea ciuitate sum acturus, quæ omnia iustè, & honestè statuit, ac facit, & de ducibus, qui eam ad hoc dignitatis fastigium perduxerunt: quarum rerum cognoscendarum si quis fuerit studiosus, is facilè, & sapiens, & ad ciuilia negotia aptus euadet.

124.

In ludis publicis, & populorum concursu pericula occurrunt. lib. 5. pag. 179.

CVm sacri ludi Romani ab ipsa vrbe sic denominati celebrandi essent, inito circo, festi solemnitas instabat, cùm Manius Tullius Cons. qui sacra peracturus veniebat, de sacro curru decidit, in ipso circo, tertia autem post illam pompam die excessit.

125.

Calamitates, & infortunia praesto sunt, etiam vbi prosperitas, & laetitia totum occupat.

126.

Dux suo principi, seu reipublicae referre debet gratia, quae vertunt non sibi vsurpare ius decernendi. lib.5.p.171.

ADmoto Fidenatibus Romano exercitu Largius dictator eos obsidione validè premere conabatur, illis hisce in angustiis positis, non tamen exciderat spes auxilii quod se allaturos Latini promiserunt. Quamobrem illa spe se fouentes acerba quaeuis mala obstinato animo perferebant. Praecipuè autem dira fames, malum intolerabile, eos premebat, multosq. mortales confecit. Sed calamitatibus iam fracti legatos ad consulem miserunt, inducias ad certum dierum numerum petentes, vt intereà deliberarent de pace cum Romanis facienda, & de conditionibus quibus ea fieret. Sed reuera tempus postulabant, non deliberandi, sed auxilii cōparandi causa, vt ex transfugis quibusdam, compertum est qui nouissimè venerant. Superiore enim nocte nobilissimos ciues, & qui plurimùm apud Latinorum populos poterant, legatos ad eorum rempubli-

cam

cam supplicum more ornatos miserant. His igitur rebus cognitis Largius legatis inducias petentibus imperauit, vt armis depositis, & apertis vrbis suæ portis, tunc demum secum agerent, alioqui, neque pacem, neque inducias, neque aliud quidpiam humanum moderatumue à pop. Romano illos impetraturos dixit. Ne autem legati ad Latinam gentem missi in vrbem residerent, cauit omnibus itineribus, quæ ad oppidum ducebant, custodia accuratè interclusis: quare qui obsidebantur coacti sunt desperatis auxiliis externis ad preces confugere, & veniam ab hostibus petere. Itaque conuocata concione decreuerunt conditiones pacis quascumque victor dedisset æquo animo accipere. Adeò autem mores ducum illius seculi ciuiles, ac modesti erant, & ab omni tyrannica arrogantia alieni, (quam pauci admodum nostræ ætatis duces potestatis magnitudine elati effugere potuerunt) vt consul oppido per deditionem recepto, nihil de sua sententia fecerit, sed iustis ciuibus arma deponere, & præsidia in arce relicto, ipse Romam venerit, & coacto senatu ei permiserit, vt consultaret qua ratione quòue modo illi, qui se dediderant tractandi essent.

127.

Exemplum eximiæ modestiæ, & temperantiæ ab ambitione regnandi. lib. 5. pag. 176.

VIdebatur senatui Romanorum respub. indigere homine industrio, & rei militaris non modicè perito, prætereà prudente, & sapiente, & qui præter potestatis amplitudinem, ad aliquam dementiam non adduceretur, sed præcipuè qui præditus esset reliquis artibus, quæ in bonis imperatoribus requiruntur, qui seuerè imperare sciret, nec molliter contumacibus cederet, quo potissimum homine tunc ipsis opus erat. *Senatorum pars altera Cloelium, altera Largium imperio dignum esse censebat, cùm aliqui neutri, atque vtrique cedendum esse indicarent, dubitantes, ne si vnus imperium accepisset, iratus alter plebem ad seditionem excitaret. Quamobrem dictis hinc inde variis sententiis, preter omnium expectator vterque ad inuicem benignè se gerere.* Vterque enim non se, sed suum collegam imperio dignum esse dicebat, & totum illum diem consumpserunt dum alter alterius laudes recenset, & imperium deprecatur: ita vt patres conscripti valde inopes essent, consilij. Dimisso autem senatu, cognati vtriusque, & honoratissimi quique cæterorum senatorum ad Largium profecti, cũ vsque ad noctem precibus multis precati sunt: docentes in illo totam senatus spem esse sitam, & istam honoris ac imperii contemptionem reip. damnosam esse dicentes. At ille immotus manebat, ipsisq. constanter, partim precibus, partim obtestationibus diù restitit. Postridie autem coacto iterum senatu,

tu, quum tunc etiam repugnaret, & licèt omnes hoc ei suaderent, tamen de sententia non decederet, Cloelius surgens eum nominauit, vt facere solebant interroges, seq. consulatu abdicauit.

128.

Præmium proponendum laboribus, quia spes præmij vires addit animo, qui aliter torpescit. l. 1. p. 173.] *Vnde Dauid de se ipso testatur.* Psalm. 118. Dilexi mandata tua propter retributionem. *Et de ipsa fortitudine Christi ait Apost.* Proposito sibi gaudio crucem accepit.

M. *Valerius de remittendis plebi debitis, suadens senatui, demonstrauit*, in iis, qui pro paribus præmiis certant, par etiam studium, & gloriæ cupiditatem ad pias res gerendas innasci solere: in iis verò, ad quos nullus inde fructus, & emolumentum redit, nunquam innasci generosos spiritus.

129.

Diuites impartiri debent suas facultates pauperibus, qui pro eis laborant. l. 5. p. 174.] *Procul dubio impartiebatur, qui ait.* Si comedi bucellam solus. Iob...

Mar-

M*Arcus Valerius de remittendis plebi debitis suadens, ait*, oportere patritios rationem, prout decet eorum habere, & quibuscumque rebus eos indigere cognoscerét, eas promptè, & publicé, & priuatim illis largiri, illud cogitantes, superbe eos facturos, si corpora ab illis petant, & tamen ipsi ne pecunias quidem eis largiantur, & si apud omnes se iactent, se communis libertatis causa bellum gerere, & tamen suis adiutoribus eã eripiant, non quod illis improbitatem possint exprobrare, sed impiam, quæ miseratione potiùs, quàm odio est digna.

130.

***Malum, quod more publico, atque accepta consuetudine fit expeditiùs committitur, & nullo pudore*. lib. 5. pag. 174.**

A*Ppius Claudius remittenda plebi debita, quę M. Valerius suaserat, dissuadens, inter cętera hac ait*. Quæ enim, vnusquisque solus aut pudore proprio, aut ab alio impeditus facere veretur, ea si more publico, recipiantur ab eo, in sua voluntate aliorum exemplo, & consuetudine confirmato, faciliùs, & audaciùs patrari dicebat.

Cu-

131.

Cupiditas plus refrenando quiescit, quàm explendo, quia tunc noua semper appetit . lib.5.p.174.

A*Ppius Claudius remittenda plebi debita, quę M. Valerius suaserat, dissuadens, inter cætera, quę proponit, hæc ait*, neque enim expleri hominum amentium cupiditates, si quæcunque petierint consequantur: sed continuò alia maiora appetere, & in infinitum progredi.

132.

Rebelliones, seu contentiones inter agnatos potiùs cōcordia, & æquitate, quàm summo iure belli componendæ . lib.5 pag.179.

L*Argius dictatura munus, quod susceperat, initurus idoneos bello iuuenes selegit, quorum alteram partem extra vrbem aduersus hostes emisit, alteram verò in vrbe cum senioribus manere, eique præsidio esse iussit*. Ea omnium bellorum pessima, & molestissima ducens, quæ homines coacti contra cognatos, & amicos suscipiunt, hæc æquitate aliqua potiùs quàm summo iure finienda existimabat. Quare, clàm mittens ad primores Latinorum homines quosdam minimè suspectos, suadebat ipsis, vt de amicitia inter ci-

uitates

uitates concilianda agerent. Et palam missis legatis, cùm ad singulos populos, tum etiam ad eorum remp. facilè effecit, ne omnes ampliùs æquè ad bellum essent propensi.

133.

Sepultura quanti habita apud veteres. lib.6.pag.184.

POsthumius, vt suorum animos cum Latinis pugnaturus erigeret, eosque à fuga deterreret; ait. Milites qui ita (*hoc est fugientes*) obierint neque sepulturæ, neque aliarum rerum, quæ solent tribui defunctis participes erunt, sed neglecti indefleti ab alitibus, & feris laniabuntur.

134.

Mors gloriosa alacriter obeunda. lib.7.pag.184.

ITa Posthumius suos hortans ad strenuè pugnandum. Mors omnibus mortalibus est fatalis, ignauis æquè, atque fortibus, sed præclara, & gloriosa mors solis viris fortibus contigit.

Tor-

135.

Fortuna, & victoria moderatè vtendum. lib.6. pag.188.

L*Argius dictatura munere recens insignitus militibus suis suadens pacem Latinis reddere, ait*, vt fortuna moderatè vterentur, & maximam esse laudem, vt vnius viri, ita etiam totius ciuitatis secundis successibus non corrumpi, sed æquo, & moderato animo bona sua ferre. Omnem enim prosperitatem maximè inuidiosam esse, præsertim eam, in qua est contumelia, & asperitas in homines afflictos, ac miseros, ac in nostram potestatem redactos. Fortunæ autem non esse fidendum, cùm ipsi sæpe eam sint experti in suis malis, & bonis, quàm sit incerta, & variabilis, neque ad extremorum periculorum necessitatem adducendos aduersarios, ob quam sæpe præter omnem expectationem nonnulli audaces, & supra vires pugnaces efficiuntur: ipsis autem Romanis metuendum esse dicebat, ne commune odium omnium eorum in quos affectabant imperium, sibi conciliarent, si acerbas, & inexorabiles pœnas à delinquentibus exigerent, recedentes à consuetudine suorum institutorum, obliti quibus artibus ad tantum splendorem fuissent prouecti, & imperium quod antea erat principatus, & patrocinium quoddam in tyrannidem conuertentes.

Ani-

136.

Animi moderatio in prosperitate seruanda . vt sup.

137.

Nemo in desperationem adducendus, quia desperatio addit vires, facitq. extrema pericula non reformidare . lib.6.p.188.

T *Largius dictator suadens pacem Latinis reddendam afferit*, neque ad extremorum periculorum necessitatem adducendos aduersarios, ob quam sæpe præter omnem expectationem nonnulli audaces, & supra vires pugnaces efficiuntur.

138.

Imperium firmius amore subditorum, quàm timore; ideoq. plura beneficia, quàm supplicia impertienda . lib.6.p.189.

T *Largius suadens pacem Latinis reddere pra cateris hac*. Addebat, longè optimum, ac firmissimum esse imperium, quòd beneficijs, non supplicijs subditos in officio continere solet. Illorum enim beneuolentiam, horum verò timorem esse comi-

mi-

mitem. Quicquid autem est formidabilè id necessitate naturali omnibus maximè esse exosum.

139.

Aspectus calamitatum, ad miserationem magnopere commouet. lib.6.pag.191.& 192.

PAtribus in curia sedentibus, & de copiarum mittendarum numero consultantibus (*scilicet aduersus Volscos*) quidam iam senior se in forum proiecit, sordida, laceraq. ac densa indutus veste, barba valde promissa, ac densa, & squalida coma, vociferans, hominumq. fidem, & auxilium implorans. Facto autem concursu à turba proxima, ille stans in loco vnde à multis conspici posset, dixit se ingenuum esse, & militem emeritũ, atque duodetriginta prælijs decertasse, & sæpiùs ex bellis præmia suæ fortitudinis reportasse, & se reip. extremis temporibus, quibus ad maximas angustias redacta fuerat, æs alienum facere coactum fuisse, vt tributum imperatum conferret, quòd agellus suus hostium excursionibus fuisset vastatus, & rem familiarem annonæ vrbanæ caritas absumpsisset. Quare se, cùm soluendo non esset, à creditore vnà cum duobus filiis in seruitutem redactum fuisse, & quòd domino suo durius quiddam imperant responsasset, cæsum se verberibus affatim. His dictis vestem illam squalidam abiecit, & pectus cica-

tricibus plenum ostendit, & tergum recenti verberum sanguine totum repletum. Ob cuius rei indignitatem clamore cum lamentatione à circumstantibus sublato, senatus est dimissus, & tota vrbe inopes discurrebant, deflentes suum infortunium, & auxilium à vicinis implorantes.

140.

Concordia tuetur respub. l.6.p.195.

T. *Largius ad senatum sic ait*. Si enim reipublicæ potentia concors fuerit, facilè poterit, & amicos ab hostes tutos reddere, & inimicis terrorem incutere: sed si (vt nunc) discors fuerit, horum neutrum præstare poterit. Mirabor verò, nisi hæc discordia ipsam remp. conficiat, ac perdat, & sine vllo labore hostibus victoriam tradat: id quod per Iouem, cæterosque deos breui euentum puto, si ita rempubl. administrare pergatis.

141.

Non est tempus discendi, quando scientia ad praxim est reuocanda. lib.6.pag.203.

A*Grippa Menenius in oratione, qua senatum ad compositionem cum plebe faciẽdam hortatur, præ cæteris hæc ait*. Non addam hoc loco nobis in præsentia opus esse hominibus ad bellum idoneis, non agricolis,

aut

aut mercenariis, aut mercatoribus, aut etiã ijs, qui sordidis artibus operam nauant, quos vno, eodemque tempore, & res bellicas discere, & earum specimen dare oportebit.

142.

Difficile in aliquo non deficere; ideoque, & imperfectiones aliorum ferendæ. lib.6.pag.203.

A*Grippa Menenius senatum ad compositionem cum plebe ineundam suadens, hæc in medium protulit*. Quicquid ex multis partibus constat, ita natura comparatum esse vt aliqua eius pars laboret: præterea neque semper partem, quæ in humano corpore laborat, reseruandam esse: ita enim reliquum corpus aspectu turpe esset, nec ipsa natura diutius duraret: neque etiam ciuilis societatis laborantem partem expellendam, hoc enim pacto partibus corporis paulatim depereuntibus totum corpus exiguo temporis spatio interiret.

143.

Auaritia radix omnium malorum. l.6.pag.205.

M*Arius Valerius de cõpositione cum plebe ineunda sententiã laturus*. Quapropter, *inquit*, verisimile esse plebẽ offensam animũ

de-

despódere, & de incolumitate sua malè sperare: qua neque consuli, neque dictatori curam ipsius gerere volentibus id facere licuit, sed etiam præterea ipsa eorum contumeliæ & ignorantiæ particeps fuit, ob multorum aduersariorum studium ac prouidentiam. Hæc autem omnia clam facta esse nō á gratiosissimo quoque ordinis patricii, sed ab insolentibus, ac auaris quibusdā, & iniustorum lucrorum auidissimis hominibus, qui pecunia ingenti mutuò data, idque magno foenore multos ciues in seruitutem abduxerūt, atque in eos crudele, & superbum, ac violentum exercentes imperium, totam plebem ab optimatibus alienarunt, & sodalitate conflata, eiusq. duce creato App. Claudio, viro plebeiis infenso, & paucorum potentiæ studioso, illius opera totam rempublicam subuertunt.

144.

Conuentiones coactæ tandiù durant, quandiù necessitas, ideòq. ÿs non fidendum. lib. 6. p. 214.

I*Vnius Brutus legatis plebis concitata respondens, ait.* Et conuentiones quæ inter imperandi cupidos & suę libertatis conseruandæ studiosos contra voluntatem fiunt, cùm non nunc primùm, sed sæpè ante hoc cognouerim, scio tandiù durare, quandiù necessitatis vinculo retinentur.

Mi-

145.

Mirùm modestiæ, & frugalitatis exemplum, animiq. temperantis ab auaritia. lib.6.pag.220.

M*Arcius vir inclytus Romanus cum Antiatibus congrediens author præcipuus illius victoriæ fuit*. Quum autem iam aduesperasceret, Romani ob victoriam valde elati, multis Antiatibus cæsis, & multis captis, in castra se receperunt. Postridie Posthumius, exercitu ad concionem conuocato, prolixa oratione Marcium laudauit, eùmque virtutis ergò corona decreuit, & ob egregiam in vtroque prælio nauatam operam, ei præmia dedit, gratiamq. retulit, eumq. bellico equo imperatorijs insignibus ornato, & decem captiuis, data ipsi optione, vt vellet eligere, & argento quantum ille secum absportare posset, & ex reliqua præda præclaris præmitijs donauit. Sublato autem ingenti ab omnibus clamore, vt laudantibus, & congratulantibus, Marcius progressus dixit: se & consuli, & cæteris omnibus, ob honores, quibus se dignabantur, gratiam habere: verumtamen se ijs minimè abusurum, sed se contentum fore equo ob ornamentorum pulchritudinem, & vno captiuo; qui secus erat hospes. Milites verò qui & antè illius viri generosum animum admirabantur, multò magis tunc eum sunt admirati quòd diuitias contemneret, & in tanta felicitate modestè

se

se gereret. Ob hoc igitur facinus Coriolanus est cognominatus, & omnium suæ ætatis nobilissimus fuit.

146.

Effœminatio virorum quàm noxia.
lib. 7. pag. 225.

ARistodemus Cumarum tyrannus, vt in dominatu permanerent quamplurima facinora præ cæteris hoc vnum perpetrauit: curauit enim ne vel in aliorum ciuium quopiam animus aut generosus, aut virilis esset, institutis suis totam vrbanam iuuentutem, quæ alebatur effœminare est aggressus sublatis gymnasijs, & armarum exercitationibus, & mutata viuendi ratione, qua pueri priùs vtebantur. Iussit enim mares more virginum comã alere, eamq. colore flauo inficere, cincinnosque facere, & reticulis capillos religare, & pictis, atque talaribus togis indui, & palliolis tenuibus, ac mollibus amiciri, & in vmbra degere. Eos autem comitabantur ad ludum saltatorum, & tibicinum, & aliarum huiusmodi musicarum illecebrarum, puerorum magistræ mulieres, cum vmbellis, & flubellis, & ipsæ lauabant eos, allatis ad balnea pectinibus, & vnguentorũ alabastris, & speculis. Tali educatione corrumpens pueros, donec annum ætatis vigesimum impleuissent, ac exegissent, ita demum postea inter viros referri patiebatur.

Oc-

147.

Occasio oppurtuna statim captanda . lib.7. pag.227.

VOlsci nuper bello deuicti, se inuicem occultis legationibus ad bellum contra Romanos (*quos annonę penuria laborare sciebat*) sollicitabant, rati si quis eos bello, & fame vexatos adoriretur, fore vt illi hostibus resistere non possent.

148.

In commissum peccatum, non debet quis reincidere, sed in posterum cauere . lib.7. p.243.] *Frequens in ore Saluatoris*, Noli amplius peccare. Ioan.c.8.11. & c.5.14.

APpius Claudius plebi infensissimus in concione qua senatus consultum fieri non permittebat, ait. Neque enim eum qui semel, vel precibus adductus, vel vi coactus peccauit, in cæteris quoq. eod m modo se gerere oportet: sed memorem prioris peccati, cauere in posterum in aliud simile incidat.

149.

Beneficia, & amor vinciunt homines, non sanguis .lib.8.p.258.

MArcius Coriolanus ad Volscorum comitia, quos in Romanos incitare contendebat,

bat, pra cateris hac ait. Patriam verò existimo, non eam ciuitatem quæ me in ciuem abnegauit, sed eam à qua ciuis sum factus, licèt peregrinus, & regionem amicam puto non eam in qua affectus sum iniuria, sed in qua tuto manere possum.

150.

Necessitas, & desperatio facit strenuos etiam pusillos. l.8.p.266.

AD *Marcium Coriolanum bellum patriæ admouentem legatorum Romanorum quidam ingressus, hæc verba præcipuè fecit.* Vehemens enim est necessitas, & extremum periculum potest audaciam inserere, vel in eo, in quo anteá innata non erat.

151.

Prudentes cogitant rerum euentus, non tantum quos optant, sed etiã contrarios. lib.8. pag.266.

AD *Marcium Coriolanum bellum patriæ inferentem Romanorum legatorum quidam ingressus, hęc verba præcipuè fecit.* Propterea homines, qui aliis antecellunt prudentia, quã longa ætas, & longa experientia adfert, antequam rem aggrediantur, euentum eius spectandum putant, non alterum tantùm quem sibi ipsi optant, sed eum etiam qui præter omnem expectationem accidere potest.

Assi-

152.

Assiduitas & importunitas precum vincit quantumuis obstinatos. lib.8. pag.273.] *Bene Saluator*. Pulsate, & aperietur vobis. Matth.7.7.

CVm Veturia, se legationem pro patria inituram recusaret: (nam eam Romanæ matronæ exorarant, vt filium suum Coriolanum ab obsidione vrbis remaneret) tantus eiulatus mulierum est coortus, tantisq. gemitibus ædes prosonuerunt, vt lõgè per vrbem clamor maneret, ac exaudiretur, & turbæ concursu vici ædibus proximi complerentur. Postea & Valeria denuò maiore contentione prolixis, & affectuum plenis precibus est visa: & aliæ matronæ, quæ vtrique harum mulierum, vel amicitiæ, vel cognationis vinculo coniũctæ erant, earum genua tãgentes eas suppliciter orare non desinebant. Itaque Veturia cum illarum luctus ferre non posset, & multis precibus victa esset, dedit manus, & tandem pro patria legationem obiuit, vt ipsis promiserat, ducta secum vxore Marcij, eiusq. fil js, & al js c uibus, quotquot sequi voluerant.

153.

Parcere inimicis, veniam petentibus Deo gratum, & è contrà. lib. 8. pag.277.

Veturia Coriolanum filium vrbis cladem portendentis his dictis admonet. Equidē nullo modo laudare possum hæc dura,& supra modum superba, & mortalis naturæ terminos transeuntia postulata,quod videam omnibus hominibus refugia inuenta esse, & deprecationes mutuarum offensarum, preces supplices,& precationes,& vt is, qui facit iniuriam ad eos qui eam sunt passi humiliter confugiat,qui mos nobis à diis est constitutus, qui omnis ira mollitur, & odium, quod esset exercendum in inimicum, & misericordiam conuertitur contra verò omnes, qui superbi sunt,& qui supplicum preces cum contumelia repellūt,in deorum indignationem incurrere, & tandem in miseras calamitates incidere animaduertam.

154.

Mansuetudo quantum iuuat, & è conuerso. lib.8. pag.281.] *Quam bene Sapiens*. Responsio mollis frangit iram, & sermo durus suscitat furorem. Prouerb.15.1. Et mites possidebunt terram. Matth.5.4.

Sic Dionysius Halicarn. de Marc. Coriolano loquens. Quum igitur deus has virtutes illi largitus fuisset,alias infelices pestes, & morbos perniciosos adiunxit. Non inerat enim eius moribus mansuetudo, & hilaritas, nec in salutationibus, & colloquijs aliorum

co-

comitas, nec ingenium facile placabile, nec in affectibus moderatio, quoties alicui iratus esset, nec gratia, quæ omnes humanas actiones ornat: sed acerbus semper, & asper erat: atque hæc ei sæpe in bellis obfuerunt, præcipuè verò illa immodica, & nimiùm rigida iuris, legumq. obseruantia, & nulla lenitate temperata seueritas: videaturq. id verum esse, quod ab antiquis Philosophis est dictũ, morales virtutes esse mediocritates, non autem extremitas, præcipuè verò iustitiam. Nam non solùm si infra modum sit, verumetiam si modum excedat, ipsis hominibus conducere non solet: & interdum magnas illis calamitates affert, & eos in mortes miserabiles, & lues insanabiles coniicit. Marcio sanè nihil aliud exilium attulit, cæterorumq. bonorum fructum abstulit, quàm nimis accurata, & seuera iuris obseruantia. Quum enim plebeiis mediocriter cedere debuisset, eorumq. cupiditatibus aliquid remittere, & inter eos principem obtinere locum, id facere noluit: sed quod contra res omnes iniustas diceret, odium sibi contraxit, & ab ijs est expulsus.

155.

Dilatio, & tempus multas difficultates soluit. lib.8. pag.288.

SEmpronius Atratinus in oratione, in qua Appij sententiam agrum plebi diuidi nolentis, sequuturum se profitetur, hæc ait.

Multis autem in rebus duatio est vtilis, & minimè periculosa, & tempus multa vnius diei spatio mutat, & magistratuum temp. administrantium concordia omnium bonorum ciuitatibus causa esse solet.

156.

Salus proximi, & propria putanda . lib. 9. pag. 300.

P*Raeclara verba Fabij ad milites*. Et qui suum socium sibi in acie proximum seruarit, suæ saluti se consuluisse putet, & qui eum deseruerit, se hostibus proditum à seipso arbitretur.

157.

Calamitates alienæ; socio dolore prosequendæ . lib. 9, pag. 302.

[*Piè, & iustè Apost. ad* Rom. 12. 15. Flere cum flentibus: *meritoque irascebatur Propheta* Amos c. 6. 6. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti nihil patiebantur, super contritionem Ioseph.

B*Ello felicissimè à Romanis cum Etruscis confecto, caso tamen C. Manlio consule, totus* . *Quum pop. Rom.* ob partam victoriam triumphi honorem consuli superstiti deferre vellet; ipse consul huius honoris beneficium recusauit, dicens nec pium, nec fas esse, in fratris, & collegæ funeribus triumphare, & coronam gestare.

Ma-

158.

Magna facinora, magnis periculis copulantur. lib.9.pag.311.

S*Purius Seruilius in oratione, qua se excusat, quòd cùm in prælio contra Etruscos audaciùs, quàm prudentius ad hostium castra processisset, ab iis, qui in castris erant stipato agmine irruptione facta stipatus fuisset, & lectissimam iuuentutem amisisset, præ ceteris hæc ait.* Sed semper magna facinora, magnis emimus periculis;

159.

Difficile, & fallax rerum futurarum iudicium. lib.9.pag.311.

NEc vt facilè de rebus præteritis, ita etiam de futuris, quæ nam illæ sint futuræ iudicari posse: sed illas quidem sensibus, & cladibus nobis percipi, has verò diuinationibus, & coniecturis coniici, in quibus inest plurimùm fallaciæ. *Sic ait Sp. Seruil. vt obiecta sibi à tribunis crimina dilueret, & euentum rei bellicę excusaret; nam audaciùs, quàm prudentiùs in hostium Etruscorum castra irrupetrat.*

160.

Data, & dona voluntaria iucundiora coactis. lib.9.p.312.

S*Ic Sp. Seruilius*. Voluntaria dona, & donantibus sunt iucundiora, quam ea, quæ extorquentur, & ipsis accipientibus firmiora, quàm illa contraria.

161.

Oratio superba exasperat auditores*. lib.6.pag.317.] *Dixi iam cum Sap. Quod sermo durus suscitat furorem. Prou.15.1.

S*Ic Appius Claudius, & superba increpatione plebem vehementer exasperauit, ita vt legem quam Quintius eius collega abrogari exorauit, abrogare ampliùs noluerit.*

162.

***Radices malorum auferẽda ad tollenda mala*. lib. 9. p. 317.] *Quod voluit Saluator*.** Si oculus tuus scandalizat te, eijce eum. Marc 9.46.

A*Ppius in plebem inuehens*. Sic natura comparatum esse dicebat, vt ex bonis seminibus, & felices fructus proueniant, ex malis mali,& perniciosi.Sic igitur(*inquiebat*) hic magistratus pro communi omnium bono per concordiam bonis,faustisq auibus,& salua religione in remp. introductus fuisset, multorum, & magnorum bonorum causa nobis fuisset,gratiæ, concordiæ, bonarum legum constitutionis,bonæ spei á numine,&

sex-

sexcentorum aliorum: nunc verò, quoniam violentia, iniquitas, seditio, & belli intestini metus, & cætera omnia, quæ inter homines sunt maximè abominanda eum inuexerunt, quod boni, salutarisue amplius ab eo, qui talia habuerit initia, sperandum est? Itaque superuacaneum est nobis curationem, & remedia malorum inde pullulantium quærere, quæcumque in rationem humanam cadunt, pessima radice adhuc manente.

163.

Dum corrumpuntur mores, bonum prædicatur malum, & malum bonum: lib. 9. pag. 321.] Veh vobis, qui dicitis malo bonum, & bono malum.

A*pp. Claudius agri publici diuidundi sententiam laturus, sic ait*. Sed quid opus est illos accusare, qui malè nati, & malè educati, paruam honestatis habent rationem? vident enim ne in omnium quidem nostrum moribus amplius habitare priscos animos: sed à nonnullis grauitatem superbiæ, iustitiam stultitiæ, fortitudinem insaniæ, prudentiam fatuitatis nomine appellari.

164.

Nimis austeris, & rigidis non benè cedit. lib. 9. pag. 322.

App. Claudius vir nimium seuerus, & vehemens, cùm amplius pati non posset sibi vniuersos reip. ciues obsistere manus violentas sibi attulit, *atque hunc miserrimum finem sortitus est.*

165.

Neque propter infirmitatem corporis remittenda sollicitudo curæ subditorum. lib 9. pag 327.

CVm legati ad senatum Romanum venissent, de arcendis Volscis, qui occasionem nacti (nam pestis Romam inficiebat) assiduis populationibus Rom. reipub. agros infestabant. P. Seruilius morti proximus, quippe qui paulum adhuc spirabat, patres conuocauit. Eorum autem plerique semimortui, lectis in curiam delati, responderunt legatis ad se missis, vt suis renuntiarent senatum illis permittere, vt sua virtute hostem arcerent, donec consul meliùs se haberet, & exercitus ad auxilium ipsis ferendum cogeretur.

166.

Nemo iudicandus, & morte damnandus absque defensis. lib. 9. pag. 332.

POstquam M. Volscius iniuriam, quam à Cæsone affectus est Romano populo explanauit,

uit, clamor ab abstantibus sublatus est, & impetus in eum à multis factus, eum indicta causa ex tempore interficere volentibus: sed consules obstiterunt, & tribunorum plerique, qui malam consuetudinem in rempub. inducere nolebant.

167.

Contra ambitiosos exemplum viri temperantis ab amore dignitatis.

lib. 9. pag. 337. & 338.

CVm *senatus* misisset ad Quintium, qui eum ad magistratum capiendum adducerent. Tunc autem forte Quintius aruum quoddam ad sementem faciendam arabat, ipse sequens boues noualé proscindentes, sine tunica, solo subligari succinctus, & in capite pileum habens. Vbi verò vidit cateruam hominum, qui in suum fundum ingressi erant, aratrum tunc retinuit, & diu dubitauit, qui nam illi essent, & qua de causa ad se venirent. Deinde cum quidam præcurrisset, eumq; monuisset, vt se meliùs ornaret: ille in tuguriolum ingressus, & veste induta prodijt. Qui autem ad eum in vrbem deducendum missi fuerant, omnes eum non nomine, sed consulem salutarunt, purpuraq; induerũt, & allatis eó securibus, aliisq. magistratus insignibus, vt in vrbem sequeretur rogarunt. Ille aliquanti per obticuit, fusisq. lacrymis hoc tantùm dixit. Ergo agellus meus hoc

anno non feretur, & de victu periclitabimur. Deinde salutata vxore, iussaq. rei familiaris curam gerere in vrbem iuit.

168.

Lib. 9. pag. 338.

Q*uintius Cincinnatus, postquam diu consulatum gessit, indicto comitiorum die, consules designauit, &* in suum illud tugurio-lum redit, victumq. propriis manibus quærens, vt antè, vixit.

169.

Lib. 9. pag. 240.

C*Aio Nautio, & L. Minucio coss. inita Romanorum expeditio aduersus Acquos, sed varia belli necessitate cogente.* vbi visum est tempus dictatorem poscere ad eum magistratum, L. Cincinnatum designauit. Atque ipse his peractis in sua castra est reuersus. At Fabius præfectus vrbis, misit qui ad imperiū Quintium adduceret. Fortè autem tunc quoque ille quoddam opus rusticum faciebat, qui cùm turbam aduentantem conspexisset, suspicatus eam ad se venire, vestem elegantiorem sumpsit, ipsisque obuiam iuit. Ad quos postquam accessit, & equos phaleris insignibus ornatos adduxerunt, & XXIIII. fasces cum ipsis securibus, & purpuram, & alia regia insignia obtulerunt. Vnde cùm cognouisset se dictatorem creatum, non solum tanto honore sibi delato lætatus non est: sed

etiam non sine indignatione in has voces erupit. Peribit ergo huius quoque anni fructus ob meas occupationes, & malè omnes esuriemus.

170.

Lib. 9. pag. 341.

Quintius postquam triumphum de Aequis retulit, conuocato ad concionem populo, rerumq. à se gestarum ratione reddita, se magistratu abdicauit: & cùm eum rogaret senatus, vt quantum vellet ex agro armis quæsito caperet, & ex præda mancipia, & pecunias, & iustis diuitiis honestissimè suis laboribus ex hoste partis paupertatem leuaret: cùmque amici, & cognati magna dona ei offerrent, & nihil magis cuperent, quam vt talis vir diues esset ille, laudata eorum egregia voluntate, nihil eorum, quæ offerebantur, acceperit: sed ad suum illum agellum redierit, & laboriosam vitam regiæ anteposuerit, ob suam paupertatem magis se efferens, quàm alii ob diuitias.

171.

Status quietus, & humilis præponendus elato, & prælatitio. vt sup.

172.

Contra auaros, præsertim munera gerentes, exemplum abstinentiæ, alias à diuitijs oblatis. vt sup.

Ab-

173.

Abstinendum ab ijs, quæ in alijs damnamus. lib. 9. pag. 338.

Quintius Cincinnatus cùm à senatu rogaretur, vt tribunis sese opponeret, eosque à nouis legibus ferendis, partim reuerentia, partim metu deteneret, respondit se neque tribunorum eorumdem continuatam potestatem probare, nec admissurum, vt in similem reprehensionem ipse incideret.

174.

Contra auaros exemplum, temperantiæ ab acceptione oblatarum diuitiarum. lib. 9. p. 341.

Peracta aduersus Aequos expeditione triumphoque reportato Quintius dictator, cognomine Cincinnatus, rem non minori admiratione dignam egit, quod tantum imperium, (*dictatura*) in sex menses acceptum non retinuerit, quantùm lex ipsi permittebat: sed conuocato ad concionem populo, rerùmque à se gestarum ratione reddita, se magistratu abdicauerit: & quum eum rogaret senatus vt quantum vellet ex agro armis quæsito caperet, & ex præda mancipia, & pecunias, & iustis diuitiis honestissimè suis laboribus ex hoste partis paupertatem leuaret: cumque amici, & cognati magna dona ei of-

offerent, & nihil magis cuperent, quàm vt talis vir diues esset, ille, laudata eorum egregia voluntate, nihil eorum, quæ offerebantur, acceperit: sed ad suum illum agellum redierit, & laboriosam vitam regiæ antepofuerit, ob suam paupertatem magis se efferens, quàm alii ob diuitias.

175.

Lib. 10. pag. 354.

R*omilius, vir consularis mulcta pecuniariæ, qua damnatus est, Siccio accusante, sibi à tribunis remissæ beneficium accipere recusauit.* sed laudata tribunorum in se propensa voluntate, se mulctam persoluturum dixit: iam enim dijs sacratam esse dixit, nec iustè, nec piè se facturum, si deos rebus legitimis fraudaret, & ita fecit.

176.

Res diuina cultui dicata, persoluenda. vt sup.] Vouete, & reddite, *ait* Psal. 75. 12.

177.

Concordia facilius in paucis, quàm multis conseruatur. l. 9. q. 344.

Q*Vintius cùm ageretur de duplicando plebis magistratu, eam tulit sententiam,* è re senatus esse, multos esse tribunos plebis; plurimos enim, minùs concordes fore, quàm pauciores.

Amkis

178.

Ambitiosi simulant dignitates oblatas recusare. lib. 19. pag. 356.

A*ppius in decemuirorum Principem electus, magnis laudibus ab omnibus efferebatur*, & tota plebs eum in eo magistratu retinere volebat, quod nullus alius è toto collegio meliùs se in eo gessisset. Ille primùm simulaté id recusabat, & à negotiosa, & inuidiosa reipublicæ administratione se liberari petebat.

179.

Ab exemplis, & historijs præter voluptatem aurium discitur benè viuere. lib. 11. pag. 358.

D*ionysius Halicarnass. quammultos historia studiosos ex ea discere, docet his verbis*. Viris etiam ciuilia negotia tractantibus (in quo numero Philosophos quoque pono, quotquot philosophiam non verborum, sed præclarorum facinorum exercitationem putant) quemadmodum cæteris hominibus illud commune est, vt omnium eorum, quæ rebus adhærent, contemplatione plenissima delectentur. Sed præter voluptatem magna quoque commoda ad ciuitates duris, asperisq. earum temporibus, ex tali rerum accurata cognitione redundant, qua etiam fit, vt

ex

eæ ad res, quæ ipsis conducunt oratione vltrò ducantur.

180.

***A societate impiorum abstinendum, qui emendari cupit*. l. 11. p. 363]**

Bene Psalmista. Cum peruerso peruerteris. Psal. 17. 27.

C. *Claudius Appium Claudium decemuirorum principatum gerentem, atque nepotem, sic hortatur*. Redi igitur ad tuum ingenium, Appi fili, & in republica administranda, ne tyrannica, sed optimatum studia sequere, & fuge eos, qui ad voluptatem loquũtur, quorum opera de rectis institutis decessit, & à recta via aberrasti. Absurdum enim est putare, eum qui ab aliquibus ex bono malus fuerit factus, eundem ab illis iterum ex malo bonum fieri posse.

181.

***Qui non admittunt correptiones secretas, publicè increpandi*. l. 11. pag. 363.**

C. *Claudius in Appium Claudium nepotẽ, decemuirorum principem, ceterosque socios inuectos, inter cætera, quę protulit, ait*. Hæc igitur res me coegit in senatu tecum agere de ijs, de quibus tecum colloqui volebam, quando non licuit mihi soli cum solo id facere.

De

182.

De re honesta melior sermo importunus, quam nullus. l. 11. p. 363.]
Ideoque Paulus, Tim. 2. 42. Opportune, importune, argue.

RES autem honestæ, & vtiles, Appi, semper apud homines potiùs quam nusquam opportune dici possunt. *Sic ait Claudius ad Appium nepotem, quem decemuirorum principatu præditum ad bonam formam, & facile sustinēdam reipublicæ redigere hortabatur.*

183.

Moderanda animi cupiditas, quia multi appetitu maiorum amittunt præsentia. ibid.

NE dum plura appetis, res etiam præsentes amittas. *Hoc patrui Claudij præcepto Appius Claudius decemuirorum princeps instituitur.*

184.

In correptione non multiplicanda verba. vt sup.

CLaudij vocibus, quas in decemuiros, Appiumq. Claudium decemuirorum principē inuectus protulit, erudiri quisque potest. Quamuis autem longa oratione de multis præterea

rea rebus tecum agere cupiam, tamen me piget: nam si deus te ad meliora consilia ducit, & hæc, quæ dixi, plura sunt quam oporteat: si verò ad peiora, frustra & reliqua sum dicturus.

185.

***Impij nolunt correptiones audire, & se indigere aliorum consilio non arbitrantur*. lib. 1. p. 363.**

Postquam C. Claudius pluribus decemuiros corripuisset, remque, ac vtilitatem omnibus optimam multis in medium, & iudiciosis rationibus adductis M. Cornelius ea tamen nihili censuit, sed progressus: Nos, *inquit*, Claudi, de nostris proprijs vtilitatibus ipsi cognoscemus, tuo consilio non indigentes: sumus enim ea ætate, quæ est prudentissima, ita vt nihil eorum, quæ nostra intersunt, ignoremus: nec amicis indigemus, quorum consilio, si quid opus fuerit vtimur.

186.

***Tempori accommodare nos debemus*. lib. 11. pag. 365.**

Cornelius decemuirorum postulatis respondens, ait, Illud scientes, non rebus tempora, sed res temporibus inseruire.

Expe-

187.

Experientia rerum magistra, nec opus est coniecturis, ubi ipsa adest. lib. 11. pag. 365.

L. *Valerius Potilius sententiam de postulatis decemuirorum ferens, ait.* Quomodo hæc omnia sint futura, omnibus ciuibus adiuuantibus, & nullo obnitente, nullam sapiētiam vobis demonstrans: sed exempla rerum à vobisipsis gestarum afferens. Vbi enim ipsa experientia nos docet quid conducat, quid opus est coniecturis.

188.

Pulchritudo fœminarum facit eas concupisci, ideoque ipsis periculosa. lib. 11. pag. 370.] *Ita periculosa fuit Saræ uxori Abrahæ*, Genes. 20. 2. *Rebecca uxori Isaac*. Genes. 24 53.

VIr de plebe L. Virginius, rebus bellicis nulli secundus, qui in quinque illis legionibus cohortis dux erat, præfectus fuerat iis, qui Aequos expeditionem fecerant. Hic fortè filiam omnium Romanorum virginū formosissimam habebat, quæ patris nomen ferebat, & L. Icilio desponsa erat, viro tribunitio, filio Icilij, qui tribunitiam potestatem primus constituit, & primus eam accepit. App. Claudius decemuiratus princeps conspe-

spect: hac puella iam nobili, dum in ludo literario legeret (tunc autem puerorum literarij ludi erant circa forum) statim puellæ forma captus est, multò magis mentis impos fuit, quia ludu sæpiùs amore iam correptus, abire cogebatur.

189.

Libido radix omnium malorum. lib. 11. pag. 371. & 372.

VT Virginia puella App. Claudius potiretur, cuius vehementi amore flagrabat, eam rapere tentauit, unde maxima orta fuit disceptatio, ut fusè narrat Dion. Halicarn.

190.

Fœminæ domi manere debent, alias periclitantur, vagantes in vijs publicis. lib. 11. pag. 370.] *In simili iam apposuimus Dinæ exemplum.* Gen. 34. 2.

L. *Virginius vir de plebe quidem, sed rebus bellicis nulli secundus*, forte filiam omnium Romanorum virginum formosissimam habebat, quæ patris nomen ferebat, & L. Icilio desponsa erat viro tribunitio, filio Icilij, qui tribunitiam potestatem primus instituit, & primus eam accepit App. Claudius decemuiratus princeps, conspecta hac puella iam nubili, dum in ludo literario legeret

(tunc

(tunc autem puerorum ludi literarij erant circa forum) statim puellæ forma captus est, & multo magis mentis impos fuit, quia ludum sæpiùs amore iam correptus, otiose cogebatur. *Quamobrem Appius consilio ad Virgineam per vim abducendam inito, potitus est, donec pater Virginius, cùm in tantis malis versaretur facinus, patri acerbum, sed virum ingenuum, & decoris conscium minimè dedecens perpetrauit. Adductam callide ad Tabernam Lanij puellam, cultro visceribus acto prosterneret.*

191.

Obedire inhonesto mandato, non pietas, sed dementia. l. 11. p. 377.

V*Irginius vir plebeius, sed bellica disciplina insignis, milites ad defectionem concitare statuit puellę filia stupro malè à decemuirorum principe Appio affectus, sed illos nullo modo aggredi volentes, sacri iuris, humanique præcepta metuentes*, docebat eorum sacramentorum, lege esse solutum, quod imperatorem legitimè creatum copiis imperare oporteret: decemuirorum verò potestatem contra leges esse, quod annuum tempus præterit fiet, in quod designata fuerat. Imperata autem facere eorum, qui non ex lege imperant, non obedientiam, & pietatem, sed dementiam, & insaniam esse.

Malè

192.

Malè viuentes, infeliciter moriuntur. lib. 11. p. 378.

ITa *App. Claudius virginis raptor, ab eius patre Virginio in iudicium insimulatus,* & ad populum delatus est, tempusque ad causam dicendam petiit. Abductus autem in carcerem, vt vsque ad iudicii diem seruaretur (neque enim vades dandi potestas ei est facta) antequam dies iudicio destinata venisset, in vinculis obiit, idque vt multorum fuit suspicio, tribunorum iussu: vt veró diuulgarant, qui crimen illud diluere volebant, ipse laqueo se suspenderat.

193.

Plurium sententiæ cedendum, præsertim si praualere non possimus, ne soli contentioni frustra inter viamus. lib. 11. pag. 381.

C. *Claudius in oratione, qua nec consulatum, nec alium magistratum plebi cedere debere contendebat, ait.* Æqum enim est, vt vnusquisque declaret, quæ è republi-

ca fore existimat, sed pareat ijs, quæ à pluribus fuerint decreta. Illud tamen habeo, de quo vos moneam, vt in rebus difficilibus, & aduersis, vt consulatu, neque nunc, neque in posterum cuiquam cedatis, præter quam patriciis, quibus solis pium, & fas est.

FINIS.



